HERM. CONRINGII
DISSERTATIO
Ad L. I. Codicis Theodoſiani
DE STVDIIS LIBERALIBVS VRBIS ROMÆ ET CONSTANTINOPOLIS
Recenſita, aucta, & correcta.

EIVSDEM
DISSERTATIO
De iis quæ in Studioſo quovis requiruntur, qui in Academia velit ſtudiorum fructum carpere.

EXCERTA EX
JOACHIMI HOPPERI
DE VERA JVRISPRVDENTIA L. QVARTO.
Quæ agunt de Legum Romanarum interpretatione Scholaſtica, Forenſi & Politica.

HELMESTADII,
Typis & Sumptibus HENRICI DAVIDIS MÜLLERI
ACAD. JULIÆ TYPOGRAPHI
Anno cIↄ Iↄ c LXXIV.

Cum privilegiis perpetuis.

SVMMA PRIVILEGIORVM.

CAutum eſt interregni tempore Privilegiis Sereniſſimorum Potentiſſimorumque S. R. I. Vicariorum Principum, ne quis libros Hermanni Conringij curâ ſcriptos vel editos, citra ejus heredumque conſenſum, unquam vel inprimat, vel alibi impreſſos divendat: pœna delinquentibus dicta omnium ejuſmodi librorum amiſſionis, & ſolutionis decem marcarum auri. Prout latiùs definitur ipſiſmet Privilegiorum tabulis.

Sereniſſimorum Brunſvico - Luneburgenſium
Ducum Aulæ Cellenſis Hannoveranæ
& Wolfenbuttelenſis
Intimis Conſiliariis Cancellario
& Procancellariis

PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

D. IOANNI HELWIGIO SINOLD
cognomento Schütze:
UT ET
D. GOTFRIDO HEIMAN,
D. OTTONI IOANNI WITTE,
D. CASPARI ALEXANDRI,

Fautoribus ſuis & Amicis honorandis

LIBRUM HUNC

in obſervantiæ teſtimonium

conſecravit

L. M. Q.

HERMANNVS CONRINGIVS.

PERILLVSTRES MAGNIFICI AT-QVE EXCELLENTISSIMI DOMINI

LIbrum hunc cupio equidem eſſe obſervantiæ & reverentiæ erga Vos meæ publicum aliquod, &, ſi non perpetuum, ſaltim diuturnum ad poſteritatem monumentum, Magna videlicet & præclara in Ducatum hunc omnem, imo univerſum Imperium, ſunt merita Veſtra: me quoque ſingulatim multo pridem favore Vos proſecuti eſtis, quidam in arctiorem amicitiæ neces-

neceſſitudinem adſcivere. Quo nomine jamdudum omnes ſum veneratus quidem, hactenus tamen in arcano magis quam aperte. Vt vero etiam publice faciam conſtare animum meum, ſaltim à me videtur exigi: quoniam in literis vivo, & prudenti Veſtro conſilio haud levi ex parte otium illud debetur, quo nunc medias inter Germaniæ turbas licet uti, ad debitam rerum cum laude geſtarum beneficiorumque acceptorum memoriam conſervandam. Verum metuo, ut levior cenſeatur hæc mea opera, quam tanti monumenti juſta poſtulat magnitudo.

 Non

Non enim etiam ipſemet auſum id diffiteri. Conſcius tamen benevolentiæ Veſtræ, haud dubito, æqui boniq; conſulturos Vos quamvis tenue hoc munuſculum: præſertim quia valetudo minus ſolito benigna vetat hoc quidem tempore prolixiora aut meliora depromere, ego autem non injuria vereor ne moras nectentem etiam mors opprimat prius quam vel hac ratione officio fuerim functus. Quod ſi ſane & valetudo & ſuperſtes vita permiſerint, dabo quantum potero operam, uti in Veſtrum nomen argumentum aliquod non-

nihil

nihil eo quod nunc offero dignius á me elaboretur. Interea vivite & valete, *Perilluſtres Magnifici atque Excellentiſſimi Domini*, bono publico, ſimulque mihi favere pergite. Helmeſtadii in Acad. Jul. XII. Kal. Decembr. Anno CIↃ IↃ C LXXIV.

Herman. Conringivs

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

ANnus quaſi viceſimus tertius agitur, cum non uno nomine dilectus domeſticus & familiaris meus (frater illius dormitantii, liceat loqui cum S. Hieronymo, qui cauſæ, quam magiſter ipſius legulejus quamvis longe maximus & vigilans perdiderat, reſtitutionem aliquot poſt annis non dubitavit inepte fictis inſomniis moliri) mihi donaret Joachimi Hopperi Seduardum, ſive opus poſthumum de verâ Juriſprudentiâ. Legerat ille cum cura nec ſine judicio quod typis jam tum excuſum erat, Caput Tertium Libri mei de Civili Prudentia: quo diſſeritur de variis Juris peritiæ ſpeciebus, & ſingularum cum Civili prudentia ſive affinitate ſive diſcrimine; ſimulque oſtenditur, eſſe aliquam Politicam Legum prudentiam, quæ nempe Legislatoria dicenda ſit, à Judiciali ſive Forenſi plurimum diverſam, qua inſtructus quis poteſt demum reipublicæ undequaque commodas leges & de novo condere, & jam

forte

forte conditas an præſenti civitatis ſtatui conveniant nec ne accurate dijudicare. Similia nonnulla videbantur ſibi jam obſervata in Hopperiano illo opere, cumprimis quarti libri ultimis capitibus. Erat iſthac tempeſtate, ne quid diſſimulem, ipſum Hopperi nomen mihi ignotum, multo magis doctrina atq; eruditio viri ignorabatur. Cum igitur inſpecto ipſo illo opere multa meis perquam vicina, imo tantum non eadem, inſperato (nec enim mea iſthæc alibi didiceram, aut intellexeram alibi doceri) inveniſſem, imo cum ipſammet Legiſlatoriam artem ab Hoppero tradi deprehendiſſem, dicere equidem nequeo quam fuerim tunc exhilaratus. Confirmavit me ſane in ſententiis tanti viri auctoritas plurimum: nec minus quaſi pro clypeo ex eo usq; fuit ſæpius adverſum indoctorum quorundam obtrectationes. Et vero haud infrequenter uſus ſum iſthoc teſtimonio: quin imo cum jam paſſim à quam multis illud hactenus incognitum opus poſt meas laudes deſideraretur, novam ejus editionem, addito prolixiore aliquo proœmio, publicari curavi.

Prius tamen hoc quam præſtarem, ante vi-

ginti jam annos, cum in ſolemni Academiæ noſtræ Panegyri verba mihi facienda venirent, in argumentum orationis aſſumpſi, Legis primæ Codicis Theodoſiani de Studiis liberalibus Vrbis Romæ & Conſtantinopolis, *illud interpretationis genus quod Scholaſticum appellare Hoppero placuit: cui mox ſubjunxi Politicam quoq; interpretationem eidem Hoppero nuncupatam, & utramq; ſingulari libello publicavi. Viſum ſcilicet, ex re etiam juventutis futurum, ſi ſaltim exemplum utriusque interpretationis exhiberem, cumprimis ſi viam quaſi monſtrarem, quæ, me quidem judice, obſeravnda eſt in Politico Legis cujusq; examine. Et vero Scholaſticæ ut ità dicam interpretationis Legum, quamvis veterum & obſcurarum, in medio jam tum verſantur à præclariſſimis viris elaborata complura ſpecimina; Politicam autem Legis alicujus cenſuram neſcio an quisquam juſtâ cura inſtituerit. Mihi autem & ipſa Politicæ interpretationis methodus fuit quodammodo præmittenda; quoniam Hopperiana ſeſe mihi non omnino probavit, nec forte ab alio quoquam ipſa Leges ferendi atq; ad commodum reipublicæ* exigen-

exigendi ſcientia, literis tradita eſt. Quo animo liber ille meus fuerit exceptus, equidem haud jam dixerim. Quod cito tamen venalis eſſe deſierit, perinde atque nova mea Hopperiani operis editio, haud ſpernendo eſt indicio fortaſsis, ſaltim novitate ſua aliquam multos fautores Diſſertationem iſtam inveniſſe. Ex eo autem usque tempore equidem nihil ſimile tentavi, infinitis aliis negotiis impeditus. Quæ etiam effecerunt hactenus, ut pridem promiſſam Legislatoriam Artem etiamnum orbi debeam : nam quæ in Diſſertatione continentur, non niſi tenues illius doctrinæ, ut ita dicam, ſunt lineæ.

Vt nunc tamen denuo, poſt elapſum tantum temporis ſpacium, ſaltim Diſſertationem iſtam ad curam meam revocarem, permoverunt me, nuperrime iterum cum addito Supplementorum libro editæ de Antiquitatibus Academicis *meæ* Diſſertationes. *Dum nimirum inter alia iſtum quoque Academicum librum recenſuiſſem, argumenti vicinitas in memoriam revocavit etiam hanc fere jam oblitam Diſſertationem. Agit quippe etiam hæc de antiquo ſtatu*

longe olim ſub Cæſarum Imperio nobiliſſimæ & civium numero ampliſſimæ ſcholæ ipſiuſmet Urbis Romæ: & quidem ita agit, ut ex omni ævo vetere nihil Conſtitutioni illi Cæſareæ, quam illuſtrat, ſimile etiamnum ſuperſit: atq; ea propter jam tum ante triginta quatuor annos recitata abs me fuerant ipſamet ſexta de Antiquitatibus Academicis Diſſertatione illius Conſtitutionis verba, cujus prolixam & quidem ſcholaſticam alteram, alteram Politicam interpretationem anno demum quinquageſimo quinto ſeculi hujus luci publicæ exhibui. Etſi vero ſine comite initio prodierit Diſſertatio iſthac, nunc tamen adjuncta alia habet, & hujus quidem libri non niſi primum locum occupat. Sed & quam multis in locis nunc longe aliter ornata incedit: nova nimirum recenſione plurimum caſtigata & paſſim aucta, ita ut jam quidem illi manus mea ultima ſit impoſita: fortaſſis etiam magis quam antehac poſteritati & placitura ſimul & profutura. Qua in re utinam haud fallat me exſpectatio! Et vero, ſaltim ut illa rudimenta Legiſlatoriæ prudentiæ, quæ hîc ſunt inſerta, deſiderium aliquod excitent longe

nobi-

nobiliſſima atque utiliſſima ferendarum atq; πο-λιτικῶς expendendarum Legum ſcientia plene per-tractanda, ne quid diffitear, unice in votis eſt.

Jungo autem huic Diſſertationi primæ etiam Alteram, habitam quidem abs me itidem jampridem in Academica Panegyri, ſed hucusque inter ſchedas deliteſcentem. Non illa verſatur quidem circa priſcum aliquem Scholarum ſtatum, atq; ita diverſa eſt ab argumento & prioris opuſculi & illius libri quo me dixi incitatum ad ejus recenſionem: quandoquidem tamen de recte componendis Studioſorum rebus differit, utique & illa Academici eſt argumenti, & hactenus à priore viſa eſt haud multum diſſidere. Uſus autem ſum etiam hoc in ſermone ſueta mihi παῤῥησίᾳ, non auram juventutis captans ſed ejus commodum. Angor equidem animi, ſpectans tanto in numero eorum qui in Academiis degunt ingenuorum juvenum, longe pauciſſimos vitæ illius debita commoda percipere: dum alii nimirum tempus & ſumptus omnino perdunt, alii vulgaribus incrementis adhæreſcunt, idque non tam ingenii hebetudine (iis enim quis non ignoſcat?)

 quam

quam quia, vel pravo ſodalitio in otium tranſlati ad altiora haud adſpirent, vel ignorantia eorum quæ ad juſtum ſtudiorum fructum faciunt, nequeant laboribus, quamvis improbis, eniti ad excelſius aliquod doctrinæ faſtigium. Priori juvenum generi equidem haud video melius remedium, quam ut jubeantur redire ad ſuos, ſaltim ne probis ſint moleſti & noceant ſocietate aut etiam exemplo: itaque ad illos haud pertinet mea hæc Diſſertatio. Reliquorum uſui unice equidem per omnem vitam invigilavi: ideoque & horum duntaxat bono feci hæc verba. Quibus ſi profuerit meus ille ſermo, equidem plurimum gaudebo: quoniam præſertim, faſtiditis, quæ ultro à Regibus & Principibus oblatæ ſunt, magnis licet, reipublicæ gerendæ dignitatibus, in munere hoc ſcholaſtico ſtudiorum amore placuit conſeneſcere.

Quæ poſtremo ſubjunxi Hopperiana Excerpta, illa fateor à rebus Academicis alieniora ſunt. Duxi tamen haud abs re futurum illa hic annectere, quoniam cum alia heic habentur haud paſſim obvia, de varia Legum Romanarum interpretatione,

tione, tum præcipue illa quæ faciunt ad Politicam Legum cenſuram. Cujus ſpecimen volui exhibere prima Diſſertatione. Et vero ipſa illa mea Hopperiani operis editio pridem eſt divendita, ut non licuerit amplius iſthuc provocare: mihi autem cumprimis illa doctrina, ne quid diſsimulem, eſt cordi; ut proinde nihil perinde malim, quam ad illam excolendam doctiſſimos quoſque & prudentiſsimos reipublicæ curatores incitari. Quod ſi horum ſtudium incenſum fuerit, & mihi benignius nonnihil faverit valetudo, ſtabo denique promiſsis, atque adeo ſingulari libro univerſam Legislatoriæ prudentiæ, ut & Politici Legum examinis, perſequar diſciplinam propediem. Interea vel hæc Hopperiana accurate expendiſſe, haud dubito futurum inſigni commodo: præſertim ſi conferantur etiam illa quæ à me ſunt eodem de argumento diſſertata in libro de Civili Prudentia, in Propoliticis, & in Præfatione ad Hopperianum opus, quod etiam volumini Epiſtolico meo eſt inſertum. Saltim inſtitutum meum, & bonos conatus juvandi excellentiam

quævis

quavis Civilis prudentiæ ſtudia, à Benevolo Lectore haud improbatum iri confido. Helmeſtadii in Acad. Julia. IX Kal. Decembr. Anno CIↃ IↃC LXXIV.

HERMAN.

HERMANNI CONRINGII

DISSERTATIO

Ad L. 1. Codic. Theodoſ.

De

STVDIIS LIBERALIB. VRB. ROMÆ ET CONSTANTINOPOLIS.

QVotieſcunque hoc loco, magiſtratum Academicum ſive aditurus ſive poſiturus, verba feci, plærumque diſſerui de iis quæ ad Academicas res pertient. Ne quidem ab illo inſtituto receſſi, cum ante oſce ſex menſes munus hoc quartum aggrederer: leoque ne nunc quidem mutabo quidquam. Quoiam tamen & ipſe hic diſceſſus meus, & quæ hodie t aëris hyberni inclementia jubent paucis me dengi, continebo ſermonem intra anguſtos limites: q; adeo non niſi unicam legem, quæ de ſtudiorum eralium Vrbis Romæ ſectatoribus, Valentiniani alentis & Gratiani Auguſtorum nomine, quarto

EXORDIVM Diſſertationis.

 poſt

poſt natum Chriſtum ſeculo lata eſt, ex Codice Theodoſiano repetitam, boni publici gratia ſum explicaturus. Nec vero illam in Codicem Juſtinianeum Tribonianus ejusque aſſeclæ tranſtulerunt, quod forte mecum miremini. Imo nihil quod iſthuc faciat in omni illo noſtro ſacro Juris Romani Corpore reperire eſt; quamvis & Tribonianus fuerit ſtudiis liberalibus, uti ferunt, apprime addictus, & illius in conficiendo Corpore iſthoc adjutores, partim ex Conſtantinopolitana partim ex Berytienſi, Romani juris celeberrimis tunc ſcholis, prodierint. Ea tamen eſt res, qua de agit lex iſthæc, (ceu ipſimet mecum paulo poſt, ſcio, judicabitis) ut prudens legislator neutiquam contemnere aut negligenter curare eam, ſive velit ſive poſſit.

SCHOLASTICA LEGIS INTERPRETATIO

Habetur autem illa Lex, quod ante dixi, in illo Codice, qui à Cæſare Theodoſio ſecundo, cujus auctoritate anno Dominicæ incarnationis CDXXXIIX

CDXXXIIX eſt promulgatus, Theodoſianus vulgo
dicitur. Etſi hodie is Codex Cæſareus amplius haud
nteger ſed tantum potiore ſui parte, idque demum
cura Joannis Tilii & Jacobi Cujacii, ſummorum
ſine virorum, reperiatur: pro libris quinque prio-
ribus ſuperſtite Epitome duntaxat illa, quam Alari-
ci, Gothorum Regis, Galliæ Aquitanicæ & Hiſpa-
iæ tum imperantis, juſſu publicavit quondam vir
Spectabilis Anianus; fruſtra in hiſce quoq; germa-
is inveniendis ſummam induſtriam complures an-
o adhibente Jacobo Gothofredo, JCtorum ele-
antiſſimorum noſtræ ætatis nuper principe. Et
uidem habetur Lex loco primo in Titulo *de Studiis*
beralibus Urbis Romæ & Conſtantinopolis, qui eſt
onus libri decimiquarti. Adeoque poteſt peti
on ex Anianea illa epitome, ſed ipſo Theodoſiano
Codice; poſtquam ultimos octo libros voluminis
tius publicavit ante hoſce centum & quod excur-
t annos Joannes Tilius, Meldenſem pòſt Epiſco-
atum virtute ſua & præclaris in patriam & rem li-
rariam meritis, conſequutus.

Ut ἐπιγραφὴ porro præ ſeſe fert, reſcripta eſt *Univerſalis latæ Legis hiſtoria.*
x illa ab Imperatoribus, Valentiniano Valente &

 Gratia-

Gratiano Auguſtis. Ab uno tamen Valentiniano id nominis primo illam merito dixeris profectam; quum ad illum unice ſpectarint ea tempeſtate res Urbis Romæ adeoque & hæ de quibus lex agit. Huic uni etiam proxime Urbis omnia paruerint. Nec vero eſt quare quem turbent reliqua bina Cæſarum nomina; utpote quum, ex inſtituto illius reipublicæ, omnes leges quæ à Cæſarum ſingulis promulgabantur, omnium tamen nomina præ ſeſe ferrent in ſignum communis Imperii. Sed & reapſe ſumma reipublicæ erat penes unum Valentinianum, tametſi is (raro exemplo) in conſortium titulorum fratrem Valentem & filium Gratianum aſſumpſiſſet. Raro inquam exemplo. Bene enim Ammianus Marcellinus *l. XXVII. cap. 14* de Gratiano Auguſto declarato cum diſſeruiſſet: *In hoc negotio* inquit *Valentinianus morem inſtitutum antiquitus ſupergreſſus, non Cæſares ſed Auguſtos germanum nuncupavit & filium. Benevole ſatis. Nec enim quiſquam antehac adſcivit ſibi pari poteſtate collegam præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem abſq; diminutione aliqua majeſtatis Imperatoriæ ſocium creavit.* At vero Gratianus ne adoleverat

verat tum quidem, & Valentem, ut Ammianus idem loquitur *l. XXVI c. 5, participem quidem legitimum poteſtatis, ſed in modum apparitoris morigerum* habuit Valentinianus. Poſſit forte videri Conſtitutio hæc ideo à non uno eſſe Auguſto profecta, quoniam non ſingulari numero, ſed plurali verba Conſtitutionis ſunt concepta. Aſt hoc etiam indicium non adeo eſt certum. Etſi enim primi Imperatores, ſi ſocio Imperii carerent, ſic ſatis diu ſingulari numero edicta ſua promulgaverint: quomodo Antoninus *l. 1. C. de juris & facti ignor.* dixit: *Permitto tibi defenſionibus uti:* Attamen Conſtantinus Magnus de ſe uno locutus jam numerum pluralem uſurpaverat, ut paſſim in Codice obſervare eſt, & dudum notavit Guidus Pancirollus Juris ille Romani longe peritiſſimus *l 1. Variar. lection. utr. Jur. c. 2.* Fatemur tamen, etiam ideo pluralem numerum in hac Conſtitutione adhibitum, quoniam non unius Auguſti nomine illa eſt edita. Imo fortaſſis propter ſocietatem illam Imperii, quæ quam maxime introducta eſt à Diocletiano & Maximiano, cœpit primum in Divalibus Conſtitutionibus pluralis numerus uſurpari, exemplum illud ſequentibus iis etiam qui ſolitarii imperaverunt.

Miſſa porro Conſtitutio illa Divalis (loquor ex more illius ævi) aut directa eſt, ut habet inſcriptio, ad Olybrium Præfectum Vrbis, virum ea ætate inter primos longe celeberrimum: ad quem ejusdem Valentiniani Auguſti leges aliæ complures, non in Theodoſiano duntaxat, ſed etiam Juſtinianeo Codice hodie quoque ſuperant. Quantum ex Ammiano Marcellino, ſcriptore συγχρόνῳ & curioſo, diſcimus, ſucceſſit ille in Vrbis Præfectura Prætextato, & ſucceſſorē nactus eſt Ampelium & pòſt Claudium. Hoc ſcilicet ordine, Valentiniano Imperante, jam tum ad Olybrium usque geſſerant quidam munus illud ampliſſimum, ceu colligimus ex illius Ammiani variis narrationibus, quæ *l. 26* & *27* habentur: Apronianus à Juliano conſtitutus, Symmachus, Lampridius, Viventius, Prætextatus. Quod notaſſe non caret fructu, ſaltim ad recte digerenda Conſtitutionum Auguſtalium tempora. Cæterum Olybrius is eſt, quo Præfecto Urbi & diutius ægrotante, Maximum annonæ Vrbicæ curatorem immaniter ſæviiſſe in ſontes, prolixe conqueritur Marcellinus *l. XXIIX*, Olybrium ipſum hiſce verbis denique *cap. 19* poſteritati depingens. *Olybrii*

præfe-

præfectura tranquilla nimis & lenis. Qui num-quam ab humanitatis ſtatu dejectus, ſollicitus erat & anxius, ne quodusquam factum ejus aſperum inveniretur aut dictum: calumniarum acerrimus in-ſectator, fiſci lucra unde poterat circumcidens; juſto-rumq; diſtinctor & arbiter plenus: in ſubjectis ad-modum temperatus. Sed obnubilabat hæc omnia vitium, parum quidem nocens rei communi, ſed in alto judice maculoſum, quod citeriorem vitam pene omnem, vergentem in luxum, per argumenta ſceni-ca amoresq; peregerat, nec vetitos nec inceſtos. Ab hoc plane alius eſt Olybrius ille Præfectus, quo curante S Margarita interiit, ſi credimus Veteri Martyrologio; cui in omni illa Margaritæ hiſtoria non auſus eſt fidere ipſemet Baronius, ceu apparet ex iis quæ ille diſſerit ad Martyrologii Romani diem Julii vicesimum.

Quo anno ſcripta ſit Conſtitutio, indicat ipſa; ſubſcriptum habens Conſulatum Valentiniani & Valentis AUGG. tertium: alterius nimirum Romæ alterius Conſtantinopoli, quomodo diviſerat Conſulatum Conſtantinus Magnus. Erat autem imperii illorum annus iſte ſeptimus, à nato Chriſto juxta

juxta æram Dionyſianam poſt trecenteſimum ſeptuageſimus: ſi ſane non fallunt Faſti Conſulares. Ne menſem quidem aut diem latæ Conſtitutionis eadem ſubſcriptio patitur nos ignorare. Diſcimus vero inde etiam cauſam, quare ad Olybrium, qui ſextus fuit Urbi Præfectus imperante Valentiniano, non autem ad Ampelium ejus ſucceſſorem, ſit exarata: cum tamen Præfectura Urbis fere non niſi annua fuerit. Quo nimirum menſe lata eſt illa conſtitutio, nondum ſeptimus Imperii & Præfecturæ annus cœperat, ſed fluebat adhuc ſextus. Dicemus etiam poſtea, qui fuerit factum, ut Olybrio præcipue Præfecto Valentinianus fuerit intentus vitiis Romanæ Urbis emendandis.

Non ad omnes porro liberalium artium ſcholas, ſed ad ſolam Romanam pertinere hanc legem, adeoque non niſi τοπικὴν aliquam eſſe conſtitutionem, vel ipſius Tituli, cui inſerta eſt, ἐπιγραφὴ ſatis indicat. Multo maxime vero id liquet ex ipſius Conſtitutionis verbis. Num Conſtantinopoli ad exemplum Urbis Romæ idem obtinere debuerit, non ſatis compertum habeo. Ut nec id ſatis eſt notum, num & illa Vrbs ſuum habuerit Magiſtrum

Cenſus

Cenſus & Cenſuales, quorum in noſtra Conſtitutione fit mentio: quoniam deſerit nos hac in re præclarum illud veteris ævi monumentum, quod Notitiam Utriusq; Imperii appellamus, non deſcribens ea quæ ad Præfecturam illius Novæ Romæ pertinuerunt, forte quod libri folium ævi injuria perierit. Per tamen eſt veroſimile, utrobivis parem fuiſſe rationem; quæ fuit ex Auguſtorum inſtituto utriusque Urbis quaſi æmulatio. Præfectus ſane Urbi Conſtantinopolitanæ non minore fuit, atque is qui Romanæ præerat, dignitate pariter & poteſtate: quam rem præclare perſequitur Guidus Pancirollus *l. 1 cap 25 Commentarior. ad Notitiam* illam ante laudatam. Sed hæc in parvo ſunt diſcrimine, quomodo ſe cunque habuerint.

Recitabimus potius ipſam Conſtitutionem integre, prout edidit Romani Juris peritorum princeps ille Jacobus Cujacius: cum ut hoc quod modo diximus eo rectius pateat, tum quo majore cum uſu veſtro, Auditores, Conſtitutionis illius interpretatio à nobis queat inſtitui. Verba hæc ſunt. *Verba Cõſtitutionis ipſius.*

Verba ipſa Conſtitionis.

Impp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Olybrium P. V.

Quicunque ad Urbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad Magiſtrum cenſus Provincialium Judicum, à quibus copia eſt danda veniundi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expreſſa teneantur. Deinde ut in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam navare proponant. Tertio ut hoſpitia eorum ſollicite Cenſualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam, quam ſe adſeruerint expetiſſe. Iidem immineant Cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent qui turpem inhoneſtamq; famam, & conſociationes, (quas proximas putamus eſſe criminibus) æſtiment fugiendas: neve ſpectacula frequentius adeant, aut adpetant vulgo intempeſtiva convivia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, ut ſi quis de his non ita in Urbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus adfectus, ſtatimq; navigio ſuperpoſitus abjiciatur Urbe, domumq; redeat. His ſane, qui ſedulo operam profeſſionibus navant, uſque ad viceſimum

mum ætatis ſuæ annum Romæ liceat commorari. Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur. Verum ne hæc perfunctorie fortaſſe curentur, præcelſa Sinceritas tua Officium Cenſuale commoneat, ut per ſingulos menſes, qui vel unde veniant, quive ſint, pro ratione temporis, ad Africam, vel ad cæteras provincias remittendi, brevibus comprehendat. His duntaxat exceptis, qui corporatorum ſunt oneribus adjuncti. Similes autem breves etiam ad ſcrinia Manſuetudinis noſtræ annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibusq; compertis, utrum quandoq; nobis ſint neceſſarii, judicemus. Dat. IIII Id. Mart. Triv. Valentiniano & Valente III AA CONSS.

Hactenus Conſtitutio illa Divalis. Ut ejus autem ſententia omnibus perſpicua fiat, tria ſumma capita inprimis videntur attendenda. *Summa Legis capita.* *Primum* eſt, circa quos, vel de quibus, agi aliquid velit Cæſar. *Alterum*, per quos velit iſthæc curari. *Tertium*, quid Imperator & quomodo agendum omne juſſerit. Primum caput ad cauſam materialem ſive ſubjectum circa quod: Alterum ad cauſam efficientem:

Tertium ad actum ipſum ejuſque formam pertinere dixerimus, ſi ſcholaſticis Philoſophorum vocabulis uti ſit animus. Nos ordine ſingula capita luſtrabimus.

De PRIMO Legis Capite, adeoq; iis juvenibus qui Romæ ſtudiorum cauſa ſunt verſati.

Igitur ut de *PRIMO* dicamus primum, haud difficile patet, verſari hanc Legem circa eos qui Romæ ſtudiorum gratia degunt, & quidem circa adventantes, circa commorantes, & denique circa diſcedentes. Initio ſane Legis jam audivimus illa verba: *Quicunq; ad Vrbem diſcendi cupiditate veniunt.* Non multo poſt agitur, quemadmodum gerere ſeſe deceat, qui ibi ſtudiorum gratia commorantur. Poſtremo definitur aliquid de tempore omnique ratione ex Vrbe diſcedendi.

In memoriam vero heic repetendum eſt, quod alibi jam tum diſſeruimus, celeberrimam iſthac tempeſtate fuiſſe Romæ liberalium ſtudiorum ſcholam. Et vero docuerunt tum in Vrbe Profeſſores, alii quidem ære publico, alii privata quaſi opera: priores in Capitolio, alii paſſim in Vrbe: illi certo numero, hi incerto. Quæ omnia liquido apparent, ex iis quæ habentur in Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani Auguſtorum, quæ & in Theodoſiano pa-

no pariter & Juſtinianeo Codice, illic tertia hic unica, etiamnum reperitur, Titulo eodem *de Studiis liberalibus Vrbis Romæ & Conſtantinopolis*: modo illam, cum Conſtantinopoli ſit lata & poſt noſtri Valentiniani primi ætatem, liceat ad Romanam quoque Vrbem referre, & jam ante Theodoſium ſecundum par fuerit Romanæ ſcholæ conditio. Quicquid autem hujus ſit, jamdudum ante fuiſſe Romæ Profeſſores liberalium ſtudiorum, alios publicos (ut ita loquar) alios privatos, aliunde notum eſt, & à nobis luculenter expoſitum. Si vero illa Theodoſii Minoris Auguſti Conſtitutio ad Vrbem Romam & noſtræ Legis retro tempora poteſt referri: utique docuere tum in Capitolio ab Imperatoribus conſtituti, Grammatici Latini decem, Græci totidem; Sophiſtæ ſive Rhetores Latini tres, Græci quinque; Philoſophus unus; duo Juris Romani periti. Reliquorum qui intra privatas domos ſtudia exercuerunt, etſi de iis in Conſtitutione illa Theodoſii nonnulla ſanciantur, numerus nuſquam definitur; indubie autem tanta in Vrbe fuit longe maximus.

Quamvis autem ex variis Provinciis Romani Imperij etiam aliorum ſtudiorum cauſſa ad Vrbem,

propter illam copiam optimorum magiſtrorum, tanquam ad mercatum, undiq; magno numero juvenes confluxerint: haud dubie: per tamen eſt veriſimile, ſtudiorum Romani juris cauſſa potiſſimum, longe plurimos illuc profectos eſſe. Enimvero Grammaticos & Rhetores ſuos paſſim omnia meliora Provinciarum non Occidentalis minus quam Orientalis Imperij oppida alebant. Galliarum certe ipſo illo tempore eloquentiæ *ſtudia fuerunt florentiſſima*, ut teſtatur S. Hieronymus. Et vero Galli ſuo in ſolo hæc docebantur. De Aratore Patricio extat hoc Senatoris etiam recentius elogium: *Romanum eloquium non ſuis regionibus inveniſti, & ibi te Tulliana lectio diſertum reddidit, ubi quondam Gallica lingua reſonavit. Ubi ſunt, qui literas Latinas Romæ non etiam alibi aſſerunt eſſe diſcendas?* De ejuſdem ætatis Belgio Auſonius canit:

Te clari proceres, te belli exercita proles
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.

Idem Auſonius Burdigalenſes Tholoſanos & Narbonenſes Profeſſores aliquot, etiam carmine ad poſteritatem perſequutus eſt. Res omnis eſt clariſſima ex ijs quæ Valens ac Gratianus Imperatores, mor-

mortuo jam Valentiniano, Præfecto Prætorio Galliarum reſcripſerunt, de conſtituendis *per omnem diœceſin, in frequentiſſimis civitatibus, qui erudienda præſideant juventuti, Rhetoribus & Grammaticis Attica & Romana doctrina*, quæ hodie leguntur *l.* XI. *Codic. Theodoſ. de Medic. & Profeſſoribus.* In Africa Carthago omnis generis ſtudijs itidem fuit tum refertiſſima. S. Auguſtini dictum eſt: *Duæ Vrbes literarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.* De eadem Salvianus l. 7 de gubern. *Illic omnia officiorum publicorum inſtrumenta, illic artium liberalium ſcholæ, illic Philoſophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnaſia vel morum.*

Hæc vero quamvis ita in Provincijs illis ſeſe haberent, in omni tamen Occidentali Imperio fortaſſis jam tum Romæ duntaxat Juris fuit publica quædam & celebris diſciplina. Et vero Juſtinianus ea Conſtitutione qua de *Jure Veteri enucleando* agit, cum Jura Romana non alibi, quam Romæ Conſtantinopoli & Beryti, doceri juſſiſſet, affirmat *jam à retro Principibus ita conſtitutum fuiſſe.* Certe jam tum Romam juris diſcendi cauſa peti à

Por-

Provincialibus ſolitam, non eſt quod dubitemus. De Palladio diſerte in Itinerario ſuo canit Rutilius:

Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Miſſus, Romani diſcere jura fori.

De Alypio ſuo S. Auguſtinus l. 6 Confeſſion. cap. 8 ſcribit: *Non ſane relinquens incantatam ſibi à parentibus terrenam viam, Romam proceſſerat ut jus diſceret.* Sic & Sidonius Apollinaris l. 1 ep. 6 hortatur Eunapium, ut juris diſcendi gratia Romam pergat, *domicilium legum gymnaſium literarum.* Idem ſerius adhuc eſſe obſervatum, palam eſt ex Errico Altiſſiodorenſi, qui de S. Germano *l.* 1 ita canit:

Incitus his animus, taliq; cupidine raptus,
Qua caput eſt orbis terrarum, maxima Roma,
Tendit iter, Latii nodos addiſcere juris.
Et didicit, palmamq; brevi tulit ille laboris.

De eodem Germano Conſtantius: *Ut in eum perfectio literarum plena conflueret, poſt auditoria Gallicana, intra Urbem Romam Juris ſcientiam plena perfectione adjecit.* Et quid opus eſt verbis, quum ſatis conſtet, præclaros illos JCtos, ex quorum fragmentis Pandectæ conſtructæ ſunt, ut & ante

ante hos, ab aliquot retro ſeculis, clariſſimos Juriſconſultos quosque, Romæ & vixiſſe & docuiſſe? Sine dubio autem ſemper multi jam tum appulerunt animum ad Romani juris ſtudia illa: utpote quum illæ leges ſolæ in foro per omnem Romani Imperii ambitum, qui utique ampliſſimus erat, obtinuerint, & innumeri pene foro paſſim, per Galliam cumprimis, quæ jam olim Iuvenali audivit *nutricula cauſidicorum*, operam ſuam locaverint.

De Primo itaque capite legis noſtræ jam tum conſtat; nempe agere illam de iis, qui peregre adventantes Romæ in Studiis aut vivebant, aut victuri erant, aut vixerant hactenus.

ALTERVM CAPVT Legis, de iis per quos Lex voluerit aliquid effectum.

De ALTERO item haud poteſt eſſe magna difficultas. Liquidum enim eſt, præcipi hac conſtitutione ab Imperatore nonnulla Præfecto Vrbis; ſingulatim autem velle Imperatorem, quædam eorum à Magiſtro cenſus, quædã à Cenſualibus aut Officio cenſuali expediri. Non eſt vero quod miremur, ad Præfectum Vrbis direxiſſe Cæſarem, hoc Studioſam juventutem Urbis Romæ attinens Reſcriptum. Erat enim illo tempore ſumma univerſi Imperii Occidentalis, perinde ut Orientalis, cura poſt Augu-

ſtum ipſum penes Præfectos tres; quorum duo Præfecti prætorio audiebant, Italiæ alter, alter Galliarum; tertius erat Præfectus Vrbi: qui omnes cum paucis Illuſtres imo Illuſtriſſimi nuncupabantur: quum muneribus & dignitatibus publicis fungentes alii, non niſi Spectabilium, alii Clariſſimorum, alii Perfectiſſimorum, denique nonnulli Eximiorum titulis eminerent. Hos inter Præfectus Urbi cum aliis Urbicis rebus, tum etiam jurisdictioni præerat. Idque obtinuerat jam ab Octaviani Auguſti ævo. Hic enim, prout nos docet Dion Caſſius, præclarus ſane ſcriptor, *l.* 25, ex Mecœnatis conſilio Urbi Præfectum creavit (niſi vehementer fallor, quo deprimeret Conſularem & Prætoriam auctoritatem) qui omnes civiles & criminales cauſas in Urbe, imo & extra Urbem intra quingenta quinquaginta ſtadia, judicaret, & quod caput dixeris, ut ad eum ex Provinciis appellaretur. Hinc Auguſtinus *quinto Confeſſionum libro* memorat, ſeſe à Symmacho Urbis Præfecto in eloquentiæ Studiis fuiſſe probatum, & Rhetoricæ docendæ cauſa miſſum eſſe Mediolanum: nec tamen Mediolanum vere fuit ſuburbicarium, eoque fortè id factum
eſt

eſt jure quodam alio, quo nempe ad Præfectum Urbi fuit ex Provinciis appellatum. Fuit quidem illa Præfecti jurisdictio extra Urbem multum ſubinde à Cæſaribus reſtricta. Diſerte enim Valens Auguſtus, (modo tamen illa non pertineant ad ſolum Præfectum Urbi Conſtantinopolitanæ,) *l. 13 Cod. Theodoſ.* de accuſationib. *referent*, ait, *de ſuburbanis provinciis judices ad Præfecturam Sedis Vrbanæ: de cæteris ad Præfectum Prætorio.* Ex Notitia quoq; Utriusque Imperii, quæ Arcadio & Honorio Imperatoribus conſcripta eſt, colligas Picenum ſuburbicarium itidem Præfecto Prætorio Italiæ paruiſſe. Fuit item nonnihil diminuta Præfecti illius auctoritas ipſa etiam in Vrbe circa Senatorum capita, ſi in judicium illa traherentur. Salva tamen in reliquis manſerat adhuc ejus, ſaltim in Vrbe, jurisdictio. Eoq; tum etiam deportandi ſontes poteſtatem Præfectus Vrbi habuit: perinde ut habuiſſe illū Ulpiani ætate, conſtat ex Titulo de *officio Præfecti Urbis*. Spectabat porro ad eundem Spectaculorum diſciplina, imo omnes artes ſub ejus imperio Romæ exercebantur. Id quod omne præclare perſecutus eſt ille numquam ſatis à peritia rerum Romanarum ſe-

quioris ævi laudandus ICtus Guidus Pancirollus ad *Notitiam Imperii Occidentalis cap. IV.* Haud dubie igitur ejus jurisdictioni omnes quoque peregre adventantes fuerunt ſubjecti; ac proinde & qui Studiorum gratia Romam proficiſcebantur meritò illi obtemperabant. Eo ſane factum, ut & S. Auguſtinum Symmachus examinari curaverit, ceu paulo antè diximus. Nec enim tum obtinuit illa quæ hodie eſt Academicæ jurisdictionis ratio: recens quippe hæc eſt & beneficio demum Friderici I Cæſaris introducta. Ab ipſomet ſane Iuſtiniano Conſtantinopolitanæ etiam Vrbis, Novæ Romæ ſcilicet, Præfecto frenandæ petulantiæ Studioſorum, quæ tum magna erat, cura commiſſa eſt, ceu legitur *l. omnem Cod. de Veteri jure enucleando.* Diſſertatione etiam quinta *de Antiquitatib. Academicis* dudum nos oſtendimus, ipſis Athenis Atticis Profeſſores cum Studioſis Proconſuli ex lege paruiſſe. Igitur quid obſervari voluerit Imperator de iis qui Studiorum cauſa Romam petierunt, optimo ſane jure non niſi ad Præfectum Urbi reſcribi debuit, ut cui ſumma omnium ejuſmodi rerum curatio competebat.

De Magiſtro cenſus & Cenſualibus.

Et vero eidem Præfecto Urbi ſuberat Magiſter Cen-

Cenſus, & in Officio (prout tum erat loquendi mos,) h. e. in miniſterio ejusdem, Cenſuales quoque numerabantur: à quibus Cæſar fieri aliquid circa Studioſos voluit, ceu jam tum audivimus. Diſerte ſane Auctor *Notitiæ Vtrimque Imperii* (qui liber ad intelligentiam rerum Imperii Romani, quales ſeculo quarto & quinto erant, theſauri loco cenſendus eſt, præſertim poſtquam illum luculentiſſimis commentariis illuſtravit Pancirollus) inter quindecim magiſtratus qui ſubfuerunt diſpoſitioni Præfecturæ Vrbis, poſt Præfectum Annonæ, Præfectum Vigilum, Comitem Formarum, Comitem riparum & alvei Tiberis & cloacarum, Comitem Portus, ſexto loco recenſet Magiſtrum Cenſuum: inter Officiarios item ipſius Præfecti loco duodecimo Cenſuales,

Vnde obiter hoc quoque diſcere, niſi fallor, poſſemus, ſi non jam aliunde eſſet notum; Magiſtrum Cenſuum multum dignitate præſtitiſſe Cenſualibus, in hac porro noſtra lege Officium Cenſuale idem eſſe ac Cenſuales. Licet autem hoc ultimum haud difficulter etiam ex ipſa hac noſtra lege addiſcere. Quum enim dixiſſet lex: *Tertio ut*

hoſpitia eorum ſollicite Cenſualium norit Officium, mox ſubjungitur: *Iidem immineant Cenſuales.* Vbi videmus, Officium Cenſuale etiam Cenſuales appellari. Sed & paſſim in ipſo Juſtinianeo Codice, cumprimis *libro duodecimo*, etiam *apparitores* dicuntur illi qui *in officio* eſſe affirmantur. Inter apparitores autem Præfecti Vrbis non utiq; Magiſter Cenſus fuit computatus.

Verſabatur autem Magiſtri Cenſus pariter & Cenſualium ordinaria quidem curatio, ut nomen ipſum indicat, circa cenſum. Qua voce cum omnis generis vectigalia ac tributa, tum annotatio publica hominum bonorumque, ex more illius ævi ſignificabatur. Vtraque certe ſignificatione & alibi & in Legibus Theodoſianis pariter & Juſtinianeis, vox illa accipitur. Erat autem illius Cenſus ſive annotationis, Floro dicente, ea vis, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; diſcrimina in tabulas referrentur.* Vnde & Cicero de reipubl ſuæ, quam inſtituit, cenſoribus l. 3 de legib. ita ſanxit: *Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniamq; cenſento.* Ac Romæ quidem primus Servius Tullus Rex ejuſmodi cenſum egit, vel

(ut

(ut Græci loquuntur) ἀπογραφὰς inſtituit: in provinciis quo auctore idem ceperit, haud certo dixerim. Auguſtum Cæſarem per omnem Romanum orbem egiſſe cenſum ex ſingulari curioſitate, notiſſimum eſt. Et vero duplici de cauſſa cenſus tunc acti ſunt: primario quidem ut tributa de perſonis & bonis eo rectius ſolverentur, ſecundario autem, ut vis omnis Imperii, quæ utiq; in perſonis & bonis conſiſtit, imperantibus innoteſceret. Certe ob finem illum poſteriorem ſolum cenſus interdum acti ſunt. Cujus exemplo eſt cenſus ille, juſſu Auguſti Cæſaris à Quirinio Syriæ Præfecto per Judæam inſtitutus, quem ſacra Natalium Domini hiſtoria memorat: nec enim capitatio ab Imperatoribus indicta eſt Judæis ante rerum Archelai confiſcationem, ut præclare à viris quibusdam doctiſſimis eſt obſervatum. Certe non niſi ex talibus monumentis Cenſualibus in unum collatis potuit confici ab Octaviano Auguſto illud *Breviarium Imperii*; quod inter arcana ejus ab obitu repertum eſſe, memorant & Suetonius *cap. ult.* pariter & Dio *l.56.* Repetendum porro hoc loco etiam eſt, ex ævi illius Romani hiſtoria: inter varia ſive vectigalium ſive tributorum genera,

ta, obtinuiſſe tunc & Capitationem & Portorium. Eſt autem Portorium id de quo Ulpianus *l. inter publ.* §. ult de V. S. *Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus capit; quale eſt vectigal portus vel venalium rerum.* Solæ ſcilicet res venales in portum allatæ aut ex portu educendæ ſolvebant portorium; quæ autē uſus ſui cauſſa quisque ferebat à vectigali illo erant immunia: prout liquet ex *l. univerſi C. de vectigalib. & com.* Capitatio eſt id quod idem Ulpianus *l. 3 ff. de Cenſib.* tributum capitis vocat. Tale quid in ipſa Urbe Roma ſolvere coacti erant olim illi, qui extra claſſes erant, adeoque non ſecundum bonorum æſtimationem quidquam pendebant, quive ideo, quod *nullo aut parvo ære cenſerentur, capitecenſi vocabantur*, ut loquitur Julius Paullus apud Gellium *l. 16 Noct. Atticar. cap.* 10. Videtur tamen illud capitis tributum omni plebi Romanæ tandem remiſſum. Quamvis haud dixerim cujus Imperatoris beneficio illud debeatur. Etſi enim Accurſius, aliique interpretes quammulti, Conſtantino Magno id tribuant, argumento capto ex *l. un. C. de capit. civ. cenſ. eximendo*, illam tamen conſtitutio-

tutionem non ad Præfectum Urbi, quod illi exiſtimabant, ſed ad Virum Prætorium ac Præſidem Lyciæ ac Pamphiliæ ſcriptam, adeoque ad Oppida illarum provinciarum primariò pertinere, præclare monuit eximio libello *De Capitatione* Joannes Baptiſta Vicecomes JCtus Mediolanenſis. Imo omnium in univerſum provinciarum urbanæ plebi id videntur commune eſſe voluiſſe Imperatores: ut recte cenſet Guidus Pancirollus *l. 3 var. lection. in Vtr. Jur. cap. 31.* Quanquam eam fuiſſe mentem ipſiuſmet Conſtantini haud crediderim, ſed poſt demum exiſtimem ita placuiſſe: velut diu ante Romæ capitatione omni plebem liberatam, quum nec Alexandriæ jam Veſpaſiano imperante ea amplius obtinuerit, quod Vicecomiti quoq; eſt obſervatum. Haud dixerim tamen, omnes omnino incolas Urbis Romæ à Capitatione fuiſſe immunes; imo μετοίκους & peregrinos quosque Romæ ſolviſſe illud tributum, per eſt veroſimile.

Sed hæc aliena nonnihil ſunt ab hoc loco. Ex hiſce tamen quæ attulimus videtur manifeſtum, Valentiniano etiam imperante Cenſuales illos, qui portorio erant intenti, potuiſſe obſervare omnes

Studioſos peregre in portum adventantes: alios item qui à peregrinis Romæ commorantibus capitum vectigal exigebant, ſimul omnium peregrinorum illorum Studioſorum numerum & curam aliquam potuiſſe habere. Longe facillime verò id fieri ab iisdem potuit, ſi cenſus omnium priſco more etiam tum fuit actus, atque adeo omnium omnino nomina in tabulas publicas fuerunt curante Magiſtro Cenſus à Cenſualibus relata: quod per eſt veroſimile; quia alias infinita illa hominum multitudo commode regi non potuit. Et vero propter hoc Magiſtri Cenſus & Cenſualium munus, videtur mihi ab Imperatore illis potiſſimum & non aliis, fuiſſe ſimul injunctam illam circa liberalium artium Studioſos peregrinos curationem. Nos certe munus illud propterea hoc loco nonnihil enarravimus, id uti omnibus perſpicuum redderetur.

TERTIUM LEGIS CAPUT De iis quæ circa Studioſos debuerint agi.

Cæterum de ſecundo capite Legis noſtræ ſatis forte eſt dictum pro inſtituti noſtri ratione: ad TERTIUM igitur tandem nunc aggrediemur, quod omnium eſt potiſſimum: viſuri quid denique circa Studioſos illos agi Cæſar voluerit,

Inter

Inter ea autem quæ huc pertinent primo loco occurrunt duo: utraque (niſi vehementer fallor) ipſimet Magiſtro Cenſus expedienda. Verba Legis hæc ſunt: *Quicunq; ad Vrbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad Magiſtrum cenſus, Provincialium Judicum, à quibus copia eſt danda veniundi, ejuſmodi literas proferant, ut oppida hominum & natales & merita expreſſa teneantur. Deinde ut inprimo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam navare velint.* Duo hæc eodem tempore videntur fuiſſe agenda, adeoque non alibi quam apud ipſum Magiſtrum Cenſus: utpote quum ad illum ſaltim literæ illæ teſtimoniales adferri debuerint, nec alibi nomina Studioſorum in tabulas cenſuales referri. Et vero apud illum etiam aliàs referebantur in tabulas capita omnium peregre adventantium, ceu jam ante diximus; itaque utrumque hoc commode apud illum potuit inſtitui, etiam de Studioſis peregrinis. AGENDA A MAGISTRO CENSVS.

Cumprimis verò obſervandum venit quod hic innuunt Imperatores: nemini Studioſorum ex Provinciis (qua voce pene omne quod extra Urbem erat cenſebatur) Romam veniendi facultatem

fuiſſe, niſi Provincialium Judicum venia impetrata. Num in univerſum de omnibus peregre profecturis, aut ſaltim de omnibus Romam petituris, tale aliquid fuerit in Provinciis conſtitutum, nondum ſatis compertum habeo. Videtur interim, non fuiſſe id adeo omnibus commune, ſed de ſolis iis qui Studiorum cauſâ Romam ibant obſervatum. Perinde ac eâdem, pauloque poſt ſubſequente, tempeſtate Africani Epiſcopi per canones caverunt, ne quis Epiſcopus ex Africa tranſmarinas terras peteret, niſi literis publicis inſtructus. Canon Africanus viceſimus tertius ita ſeſe habet: *Item ut Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ ſedis Epiſcopo ſuæ cujusq; provinciæ: ut ab eo præcipue poſſint ſumere formatam, vel commendationem.* Qui *trans mare* tum proficiſcebantur ex Africa, illi Romam præcipue & Italiam petebant: quo ſenſu *tranſmarinæ appellationes* canone XXVIII & CXXV nec non *tranſmarinæ ſubreptiones* canone CV, prohibentur. Quemadmodum autem fas non fuit Epiſcopo ulli tranſmarina petere ſine literis publicis, ita multo minus *Comitatum* ſive aulam Imperatoriam:

ratoriam: qua de re extat præclarus canon centeſimus ſextus. Interpres porro Græcus *formatam* paſſim vertit ἀπολυτικὴν, quem hoc nomine perſtringit doctiſſimus Juſtellus. Immerito tamen fortaſſis; utpote cum à *commendatitiis* diſerte *formatas* literas canon viceſimus tertius ſeparet, & videatur omnino dimiſſoriis fuiſſe opus ad talium itinerum licentiam; perinde atque videmus hac Lege vetitum juvenibus, Romam petere ſtudiorum cauſſa, non impetrata *veniundi copia* à Provincialibus Judicibus.

Quicquid hujus ſit, id liquet; ad Magiſtrum Cenſus debuiſſe Studioſum quemq; Romam adventantem adferre teſtimonium publicum Judicis Provincialis (fuere autem illi admodum varii & multi,) & quidem ejuſmodi unde poſſit conſtare, primum, quo *oppido* ille fuerit oriundus, ſecundo quibus *natalibus*, tertio quibus *meritis*. De primo ut quidquam addamus, neceſſum non eſt in re clariſſima. Per *merita* intelligi vitæ anteactæ rationem, haud difficulter item patet. *Natalium* denique nomine parentum conditionem ſignificari, videtur vacare dubio. At vero & ipſum nativitatis annum voce

D 3 illa

illa involvi, atque adeo & hunc fuiſſe indicandum, palam eſt ex iis quæ ſequuntur. Decernitur nimirum, viceſimo anno ætatis expleto quemvis in patriam à Præfecto Urbis remittendum: illud autem fieri non potuit, niſi de ætate cujuſvis Provinciales Judices fuiſſent ante teſtati. Nec vero eſt quod quis exiſtimet, fieri illud haud potuiſſe. Paſſim enim, & Romæ & in omnibus Provinciis, tempus nativitatis cujuslibet hominis ingenui in tabulas publicas referebatur, idque ex inſtituto Marci Antonini Imperatoris. Diſerte de illo Julius Capitolinus in vita Marci cap. 9: *Inter hæc liberales cauſas ita munivit, ut primus juberet apud Præfectos ærarii Saturni, unumquemq; civium natos liberos profiteri intra triceſimum diem, nomine impoſito. Per Provincias Tabulariorum publicorum uſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud Præfectos Ærarii, ut ſi forte aliquis in Provincia natus cauſſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret.* Ejus moris veſtigia paſſim in ipſo Juſtinianeo juris corpore ſuperſunt. Hinc ſane *Natalis Profeſſio*, & *Tabulæ Natales*, & *Tabulæ Profeſſionum*, & abſciſſe *Profeſſio* memorantur

l. non

l. non nud. C. de probat. l. ſtatum C. de fid. inſtrum. l. 1. C. ſi minor. major. ſe dix. l. cum de ætate ff. de probat. Nec aliud eſt, quod Apulejus *in Apologia* uxoris ſuæ ætatem probet tabulis, *quæ partim tabulario publico partim domi adſerventur, patrem enim ejus natam ſibi filiam more cæterorum profeſſum eſſe.* Quemadmodum præclare ad locum illum Apuleii annotavit illud elegantium Juris Romani peritorum decus Scipio Gentilis *n. 877*, & ab hoc monitus I. Pricæus Britannus in *commentario*; qui tamen perperam exiſtimat, initium hujus inſtituti Servio Tullo Regi adſcribendum eſſe.

Poſt haſce vero Judicis Provincialis literas exhibitas, debuit porro adoleſcens apud Magiſtrum Cenſus profiteri, *quibus potiſſimum ſtudiis operam navare velit.* Indubie vero utrumque, & prius ſcilicet illud & poſterius, in album aliquod ſive matriculam, ſive tabulas publicas, Magiſter Cenſus debuit referre. Alioquin enim nullius fuiſſent uſus cum literarum illa exhibitio tum Studiorum profeſſio. Nec enim potuiſſet ſciri quamdiu quis Romæ debuerit tolerari, aut quo juſto tempore in patriam remitti, nec in ſtudia potuiſſet deinceps recte inquiri.

quiri. Cæterum apud ipſum quidem Magiſtrum Cenſus præter duo hæc nihil agendum fuit tunc Studioſis adoleſcentibus. Nec vero par fuit, viro magnæ dignitatis minutioribus curis moleſtum eſſe. Reliqua omnia, de quibus mox acturi ſumus, vel ad Cenſuales pertinent vel ad Studioſos vel ad ipſum Præfectum Urbis.

AGENDA A CENSUALIBUS. Ex iis vero quæ Romam venientibus adoleſcentibus ſtatim circa initia fuerunt agenda, Tertio loco ſubjungit hæc Cæſar: *Tertio ut hoſpitia eorum ſollicite Cenſualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam quam adſeruerint expetiiſſe.* Cenſuale Officium conſtabat magno numero eorum qui in Cenſus negotiis miniſtrabant. Hi cum proxime inſervirent Magiſtro Cenſus, potuit adoleſcentis in tabulas apud Magiſtrum relati cura ac ratio ſatis commode ab illis ſuſcipi. His itaque injunctum eſt ab Imperatore, ut *ſollicite* nota ſibi redderent hoſpitia Studioſorum; & quidem illum in finem, uti ſcirent, num Studioſus quisque illis ſtudiis reapſe vacaret, quæ ſectaturum ſeſe promiſerat. Atqui indubie & mutanda interdum fuerunt hoſpitia, & eligenda diverſa ab iis quæ primum

mum placuerant. Debuerunt igitur Cenſuales inquirere, non duntaxat in noviter adventantium, ſed ſimpliciter in omnium Romæ commorantium peregrinorum hoſpitia. Certe ita demum licuit aſſequi id quod Cæſaribus erat propoſitum. Et vero Cenſualibus fuiſſe injunctum, non in illa prima initia tantum ſed in omne commorandi tempus animum intendere, ex iis quæ ſubſequuntur, eſt manifeſtum.

Pergit ſcilicet Lex in hunc modum: *Iidem immineant Cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent, qui turpem inhoneſtamq; famam, & conſociationes (quas proximas putamus eſſe criminibus) æſtimant fugiendas: neve ſpectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempeſtiva convivia.* Non multo poſt injungitur Cenſualibus, ſingulis menſibus deferre, unde quique venerint, & quinam (expletis videlicet annis ſuis) ſint remittendi. Quod poſterius fieri non potuit, niſi omni commorationis intervallo Cenſuales rationem omnium habuiſſent.

Notari præterea quam maxime merentur illa, quæ ab adoleſcentibus Studioſis obſervari Cæſares volue- *AGENDA AB IPSIS STVDIOSIS.*

voluerunt. *Primum* attinet conventus, *Alterum* ſpectacula, *Tertium* denique vulgi intempeſtiva
Primum. convivia. *Conventus* voce fortaſſis intelligenda venit contracta unum in locum populi Romani major quælibet multitudo ac frequentia: quales reipublicæ, cumprimis judiciorum, cauſſa, interdum à magiſtratibus indicebantur: aliæ etiam coibant in feriis & ludis ſolemnibus: ut aliæ in Eccleſiis Chriſtianorum, quæ etiam ipſæ ſolent ſcriptoribus ejus ſeculi conventicula appellari. Ejuſmodi conventus gravitate morum & virtute bene componi, poſtulabat utique, & res ipſa, & Urbis Regnatricis maximorumq; ejus civium dignitas. Voluit itaq; Cæſar cavere, ne ſtudioſa juventus, (ut ſolet illa ætas eſſe avida novarum ſibi rerum) conventibus ejuſmodi ſeſe indubie magno numero immiſtura, per juvenilem imprudentiam quidquam committeret, quod vel dedecori poſſet eſſe conventibus vel eos turbare. Quorum prius fieri poteſt per ea quæ turpia ſunt & inhoneſta: poſterius per conſociationes. Et vero recte Cæſar *conſociationes* criminibus proximas judicavit: tumultus enim & turbas excitant coitiones & factiones illæ juvenum temerariæ,

atque

atque adeo perturbant publicam tranquillitatem, cujus conſervatione nihil prius eſſe debet in quavis republica. Fortaſſis tamen *Conventuum* voce ſignantur hoc loco conventus Studioſorum in ipſis Scholis. Utique enim & ibi congregantur in unum auditores: nec minus ibi quam à publicis Civium Romanorum Conventibus abeſſe debuit turpitudo morum & omnis factio. Poſſumus maxime ſecure vocem illam accipere de conventibus plane omnibus, cum hiſce Scholaſticorum propriis, tum aliis Romanorum civium ſacris pariter profaniſque.

Spectacula de quibus loquitur Lex, erant tunc temporis varia: cum publica populi, alia circi, alia caveæ ſive amphitheatralia, alia ſcenæ, ne nunc dicam de odeorum aliorumq; locorum ludis: tum privata magis hic alibi per Urbem, eaq; pene numero infinita. Edebanturque tunc ipſa illa publica, quæ potiſſimum Lex reſpicit, Romæ multo frequentiſſime, imo tantum non quotidie. Salvianus ſane Circorum ac Theatrorum ſpectacula *l. 6. de gubernat. Dei* vocat *quotidianas obſcœnitates*. Ejusdem verba hæc ſunt: *Ecce innumera Chriſtianorum mil-* *Secundum.*

lia in Spectaculis quotidie rerum turpium commemorantur, ſive potius, *commorantur*. Vixit autem Salvianus ſeculo quinto Chriſtiano: quo tempore dixeris tamen obſervatas fuiſſe illas Leges, quibus ſpectaculorum celebratio feriatis Chriſtianorum diebus prohibita fuit. Reperiuntur illarum binæ *Tit. de ſpectaculis*, qui eſt ſextus libri decimiquinti Codicis Theodoſiani. Altera Gratianus Valentinianus & Theodoſius Auguſti ita ſanciverunt: *Illud etiam præmonemus, ne quis in legem noſtram, quam dudum tulimus, committat: nullum ſolis diei, (l. die) populo ſpectaculo (l. ſpectacula) præbeat, nec divinam venerationem confecta (l. conficta) ſolemnitate confundat.* Altera Theodoſii Minoris & Valentiani III Cæſarum ita ſeſe habet: *Dominico, qui ſeptimanæ totius primus eſt dies; & Natale (l. Natali) atque Epiphaniorum Chriſti, Paſchæ etiam & Quinquageſimæ diebus, quamdiu cæleſtis lumen lavacri imitantia novam ſancti baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur: quo tempore & commemoratio Apoſtolicæ paſſionis, totius Chriſtianitatis magiſtræ, à cunctis jure celebratur: omni Theatrorum atque Circenſium voluptate populis denegata, totæ Chriſtiano-*

rum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. At vero poſterior illa Lex cum ſcriberet iſta Salvianus, forte nondum erat promulgata, lata quippe demum Theodoſio XI & Valentiniano Coſſ h. e. anno æræ Dionyſianæ CCCCXXV: prior item non multum fortaſſis fuit obſervata. Certe Africani Patres anno CCCXCIX cenſuerunt, Legatione ſolenni orandos *Cæſares, ut Spectacula theatrorum cæterorumque ludorum die dominico vel cæteris religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur: maxime quia ſancti Paſchæ octavarum die populi ad Circum magis quam ad Eccleſiam conveniunt.* quod habetur canone Africano ſexageſimo primo. Sed quicquid ſit de Salviani ævo, quo tempore Lex noſtra condita eſt, haud dubie Spectacula fuerunt Romæ quotidiana: utpote quum nulla lege eorum celebritas à quoquam die fuiſſet jam remota. Et vero ipſa illa tempeſtate, cum Romæ tum alibi paſſim in orbe Romano, populus ad inſaniam usque ſpectaculis fuit deditus. Hinc Ammianus Marcellinus l. XXVIII perſtringens mores Romanorum, quales erant ipſo tempore latæ Legis noſtræ, de otioſa plebe Romana cap. 25 ait: *Hi omnes*

 quod

quod vivunt & vino & teſſeris impendunt, & luſtris, & voluptatibus, & ſpectaculis: eisque templum, & habitaculum, & concio, & ſpes omnis, Circus eſt maximus. Similem inſaniam provincialium hominum acerrime item inſectantur Salvianus Chryſoſtomus alii. Nec ſane periit illa niſi cum everſione omnium bonorum reipublicæ. Quare fatetur quidem Salvianus, in multis Galliæ & Hiſpaniæ urbibus deſiiſſe tunc illa ludicra, ſed addit cauſſam: *quia agi jam præ miſeria temporis atque egeſtate non poſſunt: calamitas enim fiſci & mendicitas jam Romani ærarii non ſinit, ut ubique in res nugatorias perdita profundantur expenſæ.* Lex noſtra non interdixit ſtudioſos juvenes omnibus ſpectaculis, ſed tantum voluit, ne *ſpectacula frequentius adeant*; more ſcilicet vulgi Romani, & quum illorum daretur copia quaſi infinita.

Tertium. Pergit Lex in hæc verba: *ne adpetant vulgo intempeſtiva convivia.* Videtur autem ſcribendum *vulgi convivia.* Illa enim tempeſtate præter epulas, quas in tanto luxu ſinguli ditiores Romæ indies ferme inſtituebant infinitas, erant & publica convivia longe plurima, collegiorum, tribuum, corpo-

corporum, imo & totius populi. Et quidem horum celeberrima nonnulla, idolorum quondam cultui dicata, ſacrificiis licet jam abolitis, auctoritate tamen Cæſarum tolerabantur. Jam tum videlicet Conſtantinus M. ſacrificiis omnibus populum interdixerat; ut Euſebius paſſim & Theodoretus *l. V c. XX* memorant, imo ipſemet filius ejus & ſucceſſor Conſtantius diſerte indicat *l. 2. Cod. Theodoſ. de Paganis*. *Convivia* tamen feſta demum anno Dionyſiano CCCCIIX Arcadius Honorius & Theodoſius Auguſti vetuerunt, eâ lege quæ eſt nonadecima ejusdem Codicis Theodoſiani *de Paganis*. Qui tamen Cæſares anno CCCXCIX convivia eadem diſerte permiſerant, lege ejusdem tituli ſeptima decima, hiſce verbis: *Ut profanos ritus jam ſalubri lege ſubmovimus, ita feſtos conventus civium & communem omnium lætitiam non patimur ſubmoveri. Unde absque ullo ſacrificio atq; ulla ſuperſtitione damnabili, exhibere populo voluptates ſecundum veterem cônſuetudinem, inire etiam feſta convivia, ſi quando exigunt publica vota, decernimus.* Nec vero quidquam effecerunt ſua legatione ad Imperatorem Africani Epiſcopi, ſed potius

viden-

videntur ipſam illam legem elicuiſſe; utpote quæ Proconſuli Africæ miſſa ſit XIII Kal. Septembr. cum ejusdem anni v. Kal. Maj. decreta fuiſſet legatio. Epiſcoporum tamen canon, qui eſt numero ſexageſimus, dignus eſt quem hoc loco recitemus. *Illud etiam* (verba ſunt canonis) *petendum: ut quoniam contra præcepta divina Convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta ſunt: ita ut nunc à paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur: ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occulte videatur: vetari talia jubeant, & de civitatibus, & de posſesſionibus impoſita pœna prohiberi: maxime cum etiam in natalibus beatiſſimorum martyrum, per nonnullas civitates, & in ipſis locis ſacris, talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris eſt dicere, ſaltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exerceant: &* (*f. ut*) *matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devote venientium ad ſacratisſimum diem, injuriis laſcivientibus appetatur: ut etiam ipſius ſanctæ religionis pene fugiatur acceſſus.* Hactenus Canon. Liquet autem vel ex hiſce Canonis verbis, Convivia

illa

illa vere fuiſſe *vulgi* convivia, ſæpe etiam *intempeſtiva.* Veroſimile autem eſt, tum quoque celebrari ſolitas illas epulas publicas in ſolennibus Cæſarum feſtivitatibus, etſi iis olim Chriſtiani abſtinuerint. De iſtis ita Tertullianus Apologet. c.35. *Grande videlicet officium, focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Haccine ſolemnia dies Principum decent, quæ alios dies non decent?* Notavit eximia quædam de hiſce feſtis conviviis ad Libanii de Templis orationem patre Dionyſio neutiquam inferior Jacobus Gothofredus: quæ operæ fuerit pretium cum cura expendere.

Hujuſmodi itaque *vulgi conviviis* non quidem plane interdixit Imperator Studioſos bonarum artium: vetuit tamen illa *adpetere*, ſive quod idem eſt ſtudioſe ſectari.

Horum omnium vero inſpectio & cura accurata, ut ante dictum, Cenſualibus commiſſa eſt à Cæſare. Talis ſane curatio innuitur voce illa *Immineant.* CENSVALIVM ALIA CVRATIO.

mineant. Nec vero illa tempeſtate obtinebat amplius illa Ciceronis ævo ſueta Latine loquendi ratio, ſed voces multæ in barbariem erant flexæ, cum ſignificatione priſcâ tum pronunciatione immutata. Inſpectio inquam commiſſa fuit Cenſualibus. Nec enim data ipſis fuit ſimul & animadvertendi in ſontes facultas: ſed ſi quid obſervaſſent minus bene geſtum deferre id debuerunt ad Præfectum Vrbi. Et vero ad hunc pertinet id quod mox in Lege noſtra ſequitur.

AGENDA A PRÆFECTO VRBIS. Primum. *Quin etiam* (ait Lex) *tribuimus poteſtatem, ut ſi quis de his non ita in Vrbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus adfectus, ſtatimq; navigio ſuperpoſitus abjiciatur Vrbe, domumq; redeat.* Verberibus publice afficere ſontes, ac deportare licebat & aliàs Præfecto Urbi, ceu jam tum diximus: hoc novum videtur acceſſiſſe, quod tam gravi pæna licuerit in juvenes iſtos animadvertere, qui non ita in Urbe *ſe geſſiſſent quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcit.* Nec enim propter ejuſmodi culpam temere aliquis hactenus vel verberibus publice fuerat adfectus vel ignominioſe quaſi deportatus. in illa præſertim vivendi

vendi licentia quæ tum Romæ obtinebat. Et vero tam ſeveram legem fortaſſis expreſſit Cæſari inſolens petulantia multorum Scholaſtici illius ordinis. Vt ſolent mali mores acuere leges & novas multas elicere. Sed hanc rem iterum non multo poſt agitabimus.

Decernit mox Cæſar tempus commorandi in Urbe. *His ſane* (inquit) *qui ſedulo operam profeſſionibus navant, usque ad viceſimum ætatis ſuæ annum Romæ liceat commorari. Poſt id vero tempus qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine Præfecturæ etiam inpurius ad patriam revertatur.* Tempus igitur Romæ commorandi vigeſimo ætatis anno à Cæſare definitum eſt, iis qui gnaviter ſua curabant. Licuit nimirum, niſi fallor, ipſum annum viceſimum Romæ in ſtudiis abſolvere. Adeo benigne ſcilicet interpretanda arbitror illa verba: *usque ad viceſimum ætatis annum*: quæ fateor accipi etiam poſſint, quaſi & illum annum Romæ degere fuerit vetitum. Apparet vero hinc, minus indulſiſſe Cæſarem Valentinianum Romanæ juventuti Scholaſticæ, quam olim fecerant Berytienſi Cæſares Diocletianus & Maximianus. Extat

Secundum.

etiamnum illorum reſcriptum ad Scholares Arabiæ (ſive potius Beryti) Codice *de iis qui ætate & profesſione ſe excuſant* in hæc verba: *Cum vos adfirmatis liberalibus ſtudiis operam dare, maxime circa Juris profesſionem, conſiſtendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœniciæ; providendo utilitati publicæ & ſpei veſtræ, decernimus, ut ſinguli usque viceſimum quintum annum ætatis ſuæ ſtudiis non avocentur.* Quinque itaque annos ultra viginti indulſerunt illi Cæſares. Sed & videtur placuiſſe hoc potius Juſtiniano: ut qui Diocletiani quidem illam conſtitutionem receperit in Codicem ſuum non vero hanc Valentiniani, atque adeo publicum eſſe voluerit omnibus quod non niſi paucis erat reſcriptum. At vero Valentinianus Auguſtus noſter per Præfectum Urbis etiam *invitos* (ita enim videtur legendum pro *impurius*) domum cenſuit remittendos eos, qui viceſimum ætatis annum expleverant.

Tertium. Ut quam diligentiſſime Cenſuales omnia ipſis injuncta expedirent, juſſit porro Imperator, ſingulis menſibus per literas (ipſe *breves* vocat voce jam tum recepta) nomina eorum qui venerant Ro-

mam

mam, aut quibus per legem inde abeundum erat, Præfecto Urbis exhiberi. Verba Legis ſunt perſpicua & explicatione haud indigent. Ita autem ſonant: *Verum ne hac perfunctorie fortaſſe curentur, Precelſa Sinceritas tua Officium Cenſuale commoneat, ut per ſingulos menſes, qui vel unde veniant, quive ſint pro ratione temporis ad Africam vel ad cateras provincias remittendi, brevibus comprehendat.* In hiſce verbis quod quidem ſit obſcurum nihil occurrit. Forte tamen mirum cui videatur, ab ipſo Imperatore Præfectum Urbis titulo *Precelſa Sinceritatis* honorari. Nihil tamen hic inſolitum occurrit. Recte ſiquidem notavit Guid. Pancirollus l. 1 Var. lect. in utroque Jure c. 4: *Si quis cum Illuſtri viro, & precipue Prafecto pratorio vel Vrbi loquebatur, vel ad eum ſcribebat, etiam Princeps ipſe, his verbis eum appellabat: Veſtra Magnificentia, vel Illuſtris Magnificentia tua, aut Tua Celſitudo: quo titulo hodie erga eos Principes qui paulo ſunt inferiores Regibus utimur; vel Sublimitas tua, ſive Magnitudo, vel Eminentia, Grace dicitur ὑπεροχὴ, quod verbum interpres vertit Excellentia tua.*

Ut autem ſenſus illorum verborum clariſſimus eſt, ita ex adverſo fateor me non capere illa quæ ſequuntur: *His duntaxat exceptis qui corporatorum ſunt oneribus adjuncti.* Non me latet quidem, Corporatos eſſe qui Corporibus accenſebantur: & Corporum nomine veniſſe tunc temporis ſocietates quasdam artificum. Quamvis haud temere dixerim ad corpora pertinere illos omnes artifices qui *l. 2 Cod. Theod. de excuſationib. artific.* recenſentur. Corpora enim fuerunt *publicis obſequiis deputata*, ut dicitur Novella tertia Severi Imperatoris, aut debuerunt *ſervire ſolemnibus quos impoſuit antiqua ſolemnitas* ut habet *l. 4 Codic. Theodoſ. de privileg. corporator. V. R.* ex qua ut & tertia & ſecunda lege unicam conflavit Tribonianus. Non eſt autem veriſimile illos omnes artifices qui memorantur *Cod. de excuſat. Artific.* adeo vili fuiſſe conditione. Sed & piſtorum, ſuariorum, pecuariorum, ſuſceptorum vini, Corpora fuiſſe Romæ, apparet ex *titul. 3 & 4. lib. XIV Cod. Theodoſ.* & *tit. 15 & 16. lib. X. Codicis Juſtinianei*: quorum inter Artifices illos nulla omnino fit mentio. Ut proinde neutiquam probare poſſimus Pancirollum, qui

qui *libro de magiſtratibus municipalibus*, cætera doctiſſimo, Artifices illos Corporatis accenſet, contra mentem præclariſſimorum Juris Romani interpretum aliorum. At vero ſi *corporati* quaſi mancipes fuerunt publici, quî fieri potuit ut Studioſi quidam liberalium artium Romæ peregrinantes *corporatorum oneribus* fuerint *adjuncti?* An Corporatorum nonnulli filios ſuos clam in provincias miſerunt, indeque provincialium titulo Romam reverſos Studiis liberalibus fecerunt imbui, & in libertatem per fraudem vindicari? Sane nonnullos eorum fraudulenter ad honores perveniſſe, patet ex *l. un. Cod. de Piſtoribus. Quicunq;* (ait Leo Imperator) *ex mancipiis* (de Piſtoribus autem loquitur) *Comitis horreorum dignitatem & officium, vel ambitione, vel gratia, vel pecunia, ſeu quolibet alio modo poſthac fuerit adſecutus, exutus dignitate, quam contra interdictum noſtræ Serenitatis adeptus eſt, ad antiquum denuo conſortium collegiumq; revocetur.* Corporatorum certe filii merito Romæ detineri potuerunt ut *Corporatorum oneribus adjuncti*, etſi ſtudiis liberalibus fuiſſent imbuti: quum conditionem parentum ſequi debuerint ſervili genere nati.

An

An etiam in pœnam commiſſæ culpæ Studioſi nonnulli, ingenui cœteroquin adoleſcentes, tunc adjuncti interdum fuere Corporatis? Apparitoribus quidem Præfecti Vrbis miniſtrati ſunt olim Honorius & Theodoſius Auguſti, *l.* 2. Codice *de Apparitoribus Præfecti Vrbis*, hoc modo: *Quicunq; Illuſtris Urbanæ ſedis apparitor, clandeſtina fraude piſtorem concuſſerit; accuſatus atq; convictus perpetui panificii nexibus addicetur.* Verum illa lex nondum erat tum lata; nec dixerim talibus pœnis petulantes etiam Studioſos adoleſcentes tunc fuiſſe obnoxios. Forte veriſimilius eſt, piſtoris filia ducta Studioſum juvenem innextum fuiſſe Corpori illi ex *lege 2 Cod. Theodoſ. de piſtoribus* quæ eſt Conſtantii Imperatoris: *Si quis piſtoris filiam ſuo conjugio crediderit eſſe ſociandam, piſtrini conſortio teneatur obnoxius, & familiæ piſtoris adnexus oneribus etiam parere cogatur.* Forte par fuit ratio & & reliquorum Corporum. Nihil tamen definio: Imo hac de re malo ego alios audire potius quam ipſemet audiri.

Quartum. Minus obſcuritatis habet clauſula Legis ultima. Verba hæc ſunt: *Similes autem breves etiam ad*

ſcrinia

ſcrinia Manſuetudinis noſtræ annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibusq́; compertis, utrum quandoq; nobis ſint neceſſarii, judicemus. Senſus clariſſimus eſt. Voluit nempe Imperator, ſingulis annis non tantum nomina, ſed etiam, quemadmodum ſeſe geſſiſſet quisque eorum qui ſtudiorum curriculum Romæ abſolverant, per literas à Præfecto Vrbis ſibi indicari; & quidem in id quo Imperator ipſe reſciſceret, num quos illorum poſſet reipublicæ negotiis aliquando admovere.

Nec vero *Manſuetudinis noſtræ* voce præter ſemetipſum ſignificare quenquam voluit Valentinianus: ſimilem enim in modum loquebantur illa ætate Auguſti ſiquando blandius ſeſe gerebant. Sed & aliàs in univerſum de ſe loquentes Imperatores dicere conſueverunt: *Noſtra Serenitas, Tranquillitas, Lenitudo, Lenitas, Clementia, Pietas, Manſuetudo, Magnificentia, Noſtrum Numen, Cœleſte oraculum Sacri affatus, Celſitudo Imperialis, Sublimitas, Excellentia Imperialis, Majeſtas Imperialis, Noſtra æternitas, Perennitas:* qua de re, ut ſolet, eximia nonnulla congeſſit ὁ χαριέστατος Pancirollus *l. 1. Variar. lection. c. 2.*

Scriniorum vocem quod attinet, non illa tunc temporis notabat duntaxat *arcam, in qua ſcripturæ aurum & ſimilia ſervabantur*, aut aliquid Auguſtis proprium; quod multi arbitrantur: Sed arcas promiſcuè omnes ſignificabat cum privatas tum publicas quasque: erant vero arcæ publicæ præter Auguſtales illas etiam aliæ complures. Præterea vero vox illa cæpit quoque uſurpari de hominum ordine qui arcas ejuſmodi publicas quaſi curabant. Poſteriore ſignificatione accipitur paſſim, cumprimis *l.1 Cod. de off. P. P. Africæ*, ubi in Officio ejus tribuuntur Scrinia decem: quam legem eleganter illuſtrat idem Pancirollus *l.2 V. L. cap. 188.* Imperator hac Lege ſancit, ad ſua *Scrinia* epiſtolas illas mittendas eſſe, non indicans ſingulatim illud Scrinium, ad quod epiſtolæ erant dirigendæ, quoniam id indubie erat tum omnibus notum. Atque interpretes quidem Juſtinianei Juris nonnulli annotant, quatuor tum fuiſſe Imperatoris Scrinia, *memoriæ, libellorum, epiſtolarum, diſpoſitionum*: at nequaquam eſt veroſimile tam exiguo Scriniorum numero potuiſſe Cæſarum negocia componi, cum uni P.P. Africæ, etiam quo tempore res diœceſeos illius

afflictæ

afflictæ erant & anguſtæ, ſcrinia decem Juſtinianus aſſignaverit. Atque ideo numerus ille Scriniorum aulicorum videtur nobis latere. Non ſine cauſſa vero dixeris, ad *Scrinium* epiſtolarum breves illas, de quibus Lex noſtra loquitur, mitti debuiſſe.

POLITICA LEGIS INTERPRETATIO.

HÆC eſt, niſi vehementer fallimur, mens Legis illius noſtræ. Et vero ea expoſita, ſatis jam officio noſtro perfuncti queamus videri. At vero multum adhuc abeſt, ut ſenſu illo Legis percepto veram ejusdem prudentiam ſimus aſſecuti. Non enim qui tali aliqua ratione tenet ſenſum Legum, eapſe opera ſimul intelligit, num leges conveniant reipublicæ nec ne: id quod intelligere grande illud prudentiæ cognomentum denique promeretur. Etſi enim hac ſcientia deſtitutus, ſecundum leges & controverſias decidere, & cavere clientibus, & de jurę poſſis reſpondere, idq; omne agere prudentia quædam ſit & quidem prudentia juris; utpote quum ea mentis noſtræ facultas, quæ humanæ vitæ recte

PRÆFATIO IN POLITICAM INTERPRETATIONEM.

conſulere idonea eſt, paſſim apud omnes prudentiæ titulo audiat, ſingulatim vero illa quæ id ex præſcripto legum præſtat, communi omnium conſenſu Prudentia Juris uſurpetur: longe tamen potius indubie prudentiæ munus eſt, ipſarummet legum commoda atque incommoda perſpicere poſſe, imo hæc demum menſuram nominis Prudentiæ juris adimplet; quod vis ipſa vocis ſatis indicat. Adeo plena autem Legum cognitio requiritur in illo Politico viro, qui ad clavum reipublicæ ſedens leges illi præſcribere ex officio tenetur. Quei enim intelligat, num ferenda ſit nova lex, num vetus abroganda, num hujus aliquid corrigendum, niſi uſu omni & noxa Legum probè perſpecta? Nihil tale quidem merito poſtules ab iis quorum gloria in prompto eſt obſequio. Ne judici quidem nefas eſt iſthuc ignoraſſe. Quamvis enim per Ἐπιείκειαν quam appellant leges interdum in judiciis ſint temperandæ, Ἐπιείκεια autem omnis abſque ejuſmodi pleniore juſti notitia eſſe nequeat: attamen ea quæ judici cuivis, promiſcuè quidem, permittenda eſt Ἐπιείκεια, non niſi levior eſt, ac proinde non exigit accuratam illam Politicam Legum ſcientiam,

ſed

ſed duntaxat aliquam vulgarem, qualis ſolet reperiri in quolibet viro bono & rerum humanarum ſimul ac juſti haud ignaro. Reliqua verò omnis & majoris momenti moderandarum legum peritia ac poteſtas ſupra dignitatem eſt judicis, munus τȣ̃ νομοθέτȣ, qualis in republica Rex eſt, & in univerſum omnis quem penes eſt poteſtas ſumma Neque verò tanta facultas temere communicari judicibus aut magiſtratibus poteſt, absque magno reipublicæ diſpendio. Id quod uſu ipſo docemur, dum non ſatis ſibi hodie ea in re cavent paſſim civitates; etſi ipſemet Juſtinianus longe prudentiſſime id omne ſibi ſoli, tanquam ſummo Principi in ſua republica, olim vindicaverit. Qua de re alias accuratius diſſerendum.

Igitur non profecto ſatis fuerit, dediſſe in eum à nobis hactenus inſtitutum modum mentem hujus Legis; ſi quem in republica gerenda uſum invenire debeat interpretatio noſtra. A nobis autem merito hoc forte quis exſpectaverit, ſaltem ratione illius muneris Profeſſorii quo in incluta hac Julia nunc fungimur: utpote quum Politici philoſophi ſit τὴν νομοθεσίαν omnem noviſſe, atque adeo la-

tarum legum examen in uſum reipublicæ poſſe inſtituere. Et verò quam hactenus exhibuimus Hiſtorica quædam duntaxat vel Grammatica (ne quid diſſimulemus) interpretatio fuit: altera autem illa demum Politica eſt. Quod ipſum non ſine ſingulari quadam animi voluptate videmus, jam etiam antehac agnoviſſe ſummum virum & æternum Friſiæ decus Joachimum Hopperum, nunquam ſatis laudandi operis *de Vera Juriſprudentia lib. IV tit. 16 & 23*. Quamvis ipſe ejuſmodi interpretationem Legum neutiquam volumine iſthoc dederit: majori forte alicui eam reſervans, cujus hi libri non niſi præludium aliquod eſſe debuerunt: quantum ex illorum & prologo pariter & epilogo ut & ex libri quarti titulo quinto colligere eſt. Agamus igitur etiam quod officii ratio expoſtulat; ſaltim paucis, ne prolixa diſſertatione moremur aliorum tempora uſibus reipublicæ dedicata.

PRINCIPIA POLITICÆ LEGUM INTERPRETATIONIS COMMUNIA.

Verum ante hoc quam agamus, cogimur quaſi adducere huc nonnulla eorum quæ alibi plenius docemus, quo Politica hæc interpretatio veris certisq; principiis ſuis quaſi muniatur. Omnis lex aut jubendo, aut vetando, aut permittendo ſciſcit nonnihil

hil de actu aliquo civili, perinde atq; omnis quæſtio & deliberatio Politica circa actum aliquem civilem occupatur. Actus porro, ut in univerſum omnis etiam naturalis, ita & omnis civilis, ſimul cauſam ſuam efficientem, materialem, & finalem habet quidem: finalis tamen cauſſæ in Legibus rara fit mentio, quod non interſit obſequentium eam ſcire, imo interſit ſæpenumero eam in vulgus ignorari; materialis quoque & efficientis cauſſæ memoria nonnunquam in Lege deſideratur, ſed non niſi tunc quando aut de iis jam tum liquet, aut lex eſt imperfecta: perfecta autem eſt illa decimum quæ integre determinat omnia quæ ad actum pertinent. In definienda vero cauſſa formali actuum potiſſimum lex omnis verſatur. Hinc jam tum pene ſub initium diſſertationis hujus obſervavimus; in ipſa noſtra hac Lege primariò quidem de Actuum quorundam forma: ſimul tamen aliquid etiam ſcitum eſſe de efficiente cauſa, quinam ſcilicet actus illos debeant edere, ut & de cauſſa materiali, circa quas perſonas nempe aut res (ut omnis materia ejusmodi politica vel eſt res vel perſona) oporteat actus illos exercere; ſolius cauſſæ finalis nulla omnino

facta

facta mentione. Quoniam porro actio in univerſum omnis, adeoque & civilis, ſpeciem formamque ſuam à fine quidem potiſſimum, ex parte autem etiam à materia atque effectrice cauſſa conſequitur: hinc in examine Legis formam actus alicujus definientis præcipue ad finem ſive ſcopum actus, ex parte tamen etiam ad agentem perſonam, atque ad id circa quod actus occupatur, eſt reſpiciendum. Similiter & effectricis cauſſæ cum principalis tum inſtrumentalis, (quarum illa in civilibus ſemper eſt perſona aliqua, hæc modo perſona modo res) aptitudo ad materiam, formam actuum, & finem venit exigenda: materiæ vero (quæ in civilibus nunc perſona nunc res aliqua eſt) idoneitas ad effectricem formalem finalemque cauſſam ſpectanda eſt, idque non minus in civilibus negotiis adeoque & ipſis Legibus ac deliberationibus, quam promiſcue in omnibus quæ naturæ, cumprimis autem humano operi, ſunt obnoxia. Illa vero aptitudo utriusque (eorum inquam, quæ ſive ad materialem ſive ad effectricem cauſſam pertinent) poteſt accipi ex iis quæ ad eſſentiam pertinent; qualia ſunt
alia

alia quidem communia, alia verò ad ſocietatem civilem ſolummodo ſpectant, atque adeo proprie ſunt πολιτικὰ; cum illa communia ſint partim μεταφυσικὰ, partim φυσικὰ, partim μαθηματικὰ, partim etiam ἠθικὰ, imo & οἰκονομικὰ, aliarumque artium, & fiant demum vere πολιτικὰ ſi quando ad negotium aliquod politicum adſtringuntur. Finis denique civilium actuum (ut aliàs quoque) aut eſt remotus aut proximus; item aut externus aut internus; ut & aut univerſalis vel particularis. Non particularis autem finis recte ſe habet niſi ille univerſali totius reipublicæ fini conveniat: nec proximus, niſi ille congruat remoto: nec internus, niſi reſpondeat is externo. Eoque in examine finalis cauſſæ hic ordo ſemper eſt obſervandus. Et vero quæ modò attulimus in omni νομοθεσίᾳ obſervanda veniunt: cujus portio quaſi eſt latarum legum examinatio politica. Imo obſervanda illa veniunt in omni deliberatione & tractatione civilium negotiorum: nec aliunde poſſunt peti idoneæ probationes politicæ, quæ autem ita inſtitutæ ſunt, illæ demum vim habent verarum fortiumque demonſtrationum. Alibi hæc à nobis ſuoque loco ple-

nius docentur, heic non niſi obiter quaſi adferenda fuerunt.

Unum adhuc præmonendum eſt anteaquam ad rem ipſam aggrediamur: Veterum latarum legum examen difficile eſſe, propterea quod cenſura nequeat probe inſtitui, niſi omnibus quæ modo diximus exacte perſpectis, harum vero plena cognitio, ob antiquitatem & monumentorum defectum, vel omnino non vel ægre haberi poſſit. Et ſane hactenus longe eſt veriſſimum illud Juliani: *Non omnium quæ à majoribus ſunt conſtituta ratio reddi poteſt.* Illarum tamen legum antiquarum cenſura minus eſt difficilis, ſi exigantur duntaxat ad certum aliquem notumque reipublicæ ſtatum. Id quod fieri par eſt, ſi forte velis in uſum præſentem illas transferre, atque adeo ex ævo vetere commodum aliquod remedium tuæ reipublicæ petere. Nec vero prudentis eſt hominis, ejuſmodi cenſura haud inſtituta, admittere in uſum alienas leges: ſed talis quidem ἄτεχνος νομοθεσία (ut ſcite illam appellat Hopperus) plane indigna eſt & neutiquam ferenda, cum rerumpublicarum varia admodum ſit conditio, & quidem intantum, ut uni quod prodeſt maxime obſit alteri.

VERUM

De FINE Legi propoſito, in communi: & Speciatim de Proximo & Particulari.

VERUM tempus monet, hiſce ſepoſitis ad inſtitutum negotium accedere. Et quidem initium faciemus à cauſſa finali Legis: quoniam id expoſcit ratio Examinis, quod nulla ex parte inſtitui recte poteſt, niſi de fine omnia fuerint ante conſtituta. Quamvis vero ipſa in Lege diſertis verbis finis haud indicetur; attamen haud difficulter attendenti ille liquet; cumprimis is quem proximum appellamus & particularis. Voluit ſcil. Imperator cavere, ne illi qui ſtudiorum gratia Romæ ex provinciis commorabantur juvenes, malis moribus ex urbano vulgi contagio afficerentur, aut mora diuturniore provinciæ patriæ damno eſſent; ſed uti ſibi aliquando forent utiles. Certe omnem iſtam legem id unicè agere, ut Studioſi illi juvenes recte ſeſe haberent, in propatulo eſt. Ut neminem quoque poteſt fugere, voluiſſe Cæſarem & moribus illorum conſultum & propriis quoque neceſſitatibus. Ne ſanè de ultimo dubitemus, ipſa efficiunt verba illa: *Quo meritis ſingulorum inſtitutionibusq; compertis, utrum quandoq; nobis ſint neceſſarii, judicemus.* Voluiſſe porro Cæſarem etiam hoc, ne longior peregrinatio provinciis fraudi eſſet; colligere

eſt ex reſcripto illo jam ante recitato Diocletiani & Maximiani AUGG. ad Scholares Arabiæ, ſi cum hac Lege conferatur. Cauſſa nimirum, quare Valentinianus vetuerit ultra annum ætatis viceſimum Romæ in literis quem commorari, non alia videtur, præter eam, quæ binos illos Auguſtos movit, ut ad viceſimumquintum annum indulſerint quidem Scholaribus Beryti degere, ulterius tamen commorantes avocari permiſerint. Erant nimirum in Provinciis munera multa ſubeunda eaque ſæpe peronerosa, cum perſonalia tum patrimonialia; obtinebatque, ut unusquisq; ad patriæ ſuæ eam operam præſtandum etiam invitus poſſet adigi. Huc enim pertinent ſeveræ leges cum aliæ tum illæ *libro X Codicis titulo 37 38 39 40 & 41.* Illi rei ne fraus fieret obtentu ſtudiorum, juſſit Cæſar omnes ab ætatis anno viceſimo remitti in patriam quamvis invitos. Et vero huc forte potiſſimum ſpectat illud, ut quilibet Romam veniens apud Magiſtrum Cenſus oppidum natale & genus profiteretur: quo ſcil. ille patriæ poſſit reddi juſto tempore: *nec enim origine propria poterat quis voluntate ſua eximi; filiosq; apud originem patris non*

in materna civitate, etſi ibi nati eſſent (ſi modo non domiciliis retinerentur) ad honores ſeu munera poſſe compelli, explorati juris erat.

Cæterum hæc quidem proxime voluiſſe Auguſtum Valentinianum Lege iſthac ſua conſequi, manifeſtum ſatis eſt. Nondum liquet tamen vel num hunc finem recte ſibi propoſitum ille habuerit, vel num media quæ adhibuit fuerint paria fini iſti aſſequendo: quorum prius primo loco inquirendum eſt. Ut autem jam ante monuimus, fines ejuſmodi ad finem ultimum integrumque reipublicæ æſtimandi ſunt: ideoque attendendum venit, quis ille fuerit Imperii Romani, quo tempore Lex condita eſt. Eſt autem hoc forte incertius. Etſi enim ſtatus Imperii ſimpliciter μοναρχικὸς fuerit, adeoque indubie ſalus reipublicæ tunc fuerit in conſervatione monarchici talis regiminis poſita: cum duo tamen ſint genera τῆς μοναρχίας, in quorum utroque bonum quidem ſpectatur commune, Sed in alio dominantium commodum primario quæritur & non niſi illorum reſpectu, ac κατὰ συμβεβηκὸς & ſecundario commodum ſubditorum, in alio autem pari undique modo domi-

De externo & ultimo Legis FINE.

nantium atq; parentium ſalus attenditur; non perinde certum eſt qualis ſpeciei tum fuerit Romanum Imperium. Multum autem intereſt cujusmodi fuerit: cum neutiquam omni ex parte iiſdem inſtitutis utraque *μοναρχία* queat conſervari. Et vero omnes leges Romanæ in univerſum monarchiæ ſunt quam aptiſſimæ, in cujus duntaxat uſum etiam ſunt conditæ: cæterum videtur (ut ſolet) fluctuaſſe illam rempublicam; & modo communis boni ex æquo, modo dominantium potius rationem habitam. Plurimum ſane falluntur qui exiſtimant, omni perinde ſtatui Leges Romanas convenire: id enim omnino eſt *ἀδύνατον*, & à mente ipſorummet Romanorum legislatorum alieniſſimum, arguitq; talis opinio ſummam Politices vel regendæ reipublicæ inſcitiam, imo & ignorantiã ipſarummet Romanarum legum. Nec enim id verũ eſt, niſi de paucis illis quæ faciunt ſimpliciter ad uſum communem omnium rerumpublicarum: reliquarum & numerus eſt maximus, & uni illarum ſpeciei quam *μοναρχίαν* dicimus congruunt, ad alias rerumpubl. formas translatæ illas mutant ac perturbant: interim & illarum aliæ favent magis he-

liri

rili aliæ civili monarchiæ, tanquam reſpublica duas haſce inter ſpecies quaſi dubia hæſerit. Nec enim omnibus par Cæſaribus animus, quorum hodie quoque leges in Codicibus ſuperſunt. Multum profecto à Trajani, Hadriani, Antonini Pii, Marci, & Severorum, civili in rempubl. benignitate alii abſuerunt: ideoque vel in gratiam nonnullorum prenſantium vel augendo dominatui conſtituta ſunt ab iis haud pauca. Quæ nec Juſtinianus mutavit omnia: ſive per incuriam, in illa infinita diſcordantium legum multitudine recenſenda inevitabilem, ſive quod nec ipſe ab herilibus ſtudiis fuerit alienus, perinde ſicut primus fere omnium qui Conſtantinopoli vixere Imperatorum, non tantum nomine ſed etiam re ipſa fuit *αὐτοκράτωρ*, quod obſervavit *l.* 5 Agathias. Cæterum Valentiniani Cæſaris illæ virtutes, quas procul adulatione deſcribit Ammianus Marcellinus ſub finem *l.* 31 (ne de aliis nunc dicam) vetant nos ſequius aliquid ſuſpicari. Ut proinde habendus ille ſit inter eos, quibus perſuaſum, *Finem juſti imperii* (quæ verba ibidem ſunt *c.* 23 Ammiani) *utilitatem obedientium æſtimari & ſalutem*: utque adeo Romani Imperii adminiſtratio non tam dominantis commodo quam bonum commune tum

ſpecta-

ſpectaverit. Ille imo fuit Cæſar iſte, ut haud injuria dixeris, non ampliandæ potentiæ, non parandis opibus, non vitæ luxurioſæ ſtuduiſſe tum Rempublicam Romanam, ſed veræ felicitati. Quam in virtutis exercitio, cum eorum quæ ad vitæ civilis uſum requiruntur juſta copia, collocant ſapientes: etſi aliàs non privatim duntaxat ſed & publice à magnis civitatibus ea in re peccetur vehementer.

De FINIUM Legis proximorum cum ultimo convenientiâ.

Agite ergo: jam videamus; num quos diximus fuiſſe proximos fines condendæ Legi noſtræ, ſatis fuerint congrui illi ultimo & ſummo & communi Imperii Romani ut & Legislatoris Cæſaris ſcopo. Et vero fortaſſis etiam de eo quis dubitet, num ex re fuerit publica, quod ita promiſcue Provinciales filios ſuos liberalibus ſtudiis fecerint imbui, quodque adeo Romæ earum artium fuerit quaſi mercatus aliquis conſtitutus. Nam nonnullis quidem populis olim perſuaſum fuit, & etiamnum eſt Moſchis Tataris aliisq; creditum, doctrinam omnem in publicum eſſe noxiam: alii, ut quondam Ægyptii quoque, non niſi paucos & delectos ad ſtudiorum culturam admiſere. Verum enimvero nec tempus patitur, nec videtur pretium operæ, nunc

qui-

quidem vel barbararum gentium improbam illam perſuaſionem, vel Ægyptiorum iſtud inſtitutum gravibus argumentis convellere. Nemini enim non conſtat, nullam ſocietatem civilem vere beatam eſſe ſine ſapientiæ ſtudiis, ſi non illis quæ θεωρητικὰ dicimus, ſaltim non absq; iis quæ ad vitam commode agendam ipſamque reipublicæ faciunt adminiſtrationem. Ad hæc cum raro eadem ſit liberis quæ parentibus indoles, nemo probaverit Ægyptios, qui artes & doctrinam non niſi certis familiis proprias atque adeo quaſi hæreditarias eſſe voluerunt. Certè tantum abeſt id in artium ſtudiorumq; meliorem culturam ceſſiſſe, quod Diodorus Siculus *l.1 c.47 & l.2 c.29* tamen exiſtimavit, ut nihil illi perinde obſtiterit: uſu ipſo docente, florere artes doctrinamque omnem ibi maxime, ubi naturæ ductui ſuum arbitrium integrum eſt. Non ſine diſcrimine omnibus patefaciendam ad liberalia ſtudia viam ſed ſolis iis qui in reipublicæ uſum educantur, quales ſunt ſoli ingenui, haud caret juſta ratione. Quur enim ſervus diſcat quod reipublicæ inutile eſt? At hoc nihil ad Legum noſtram: utpote quum non ſervi ſed ſoli ingenui provinciales Romam illa tempeſtate ſtudiorum gratia petierint.

Cæterum præter hoc delectu aliquo ingenioſorum eſſe opus ad juſtum capiendum ex ſtudiis fructum, idque ut alibi paſſim ita & Romæ fuiſſe magno incommodo neglectum, alibi latiùs oſtendimus. Nec vero hujus loci eſt hoc agere.

Ne quidem huc propriè pertinet inquirere, num ſatis prudenter uni Romæ doctrina Juris Romani in omni Occidentali vaſto illo Imperio fuerit commiſſa. Etſi haud paucis forte rationibus queat adſtrui, neutiquam id fuiſſe ex uſu publico, poſteaquam jura illa cæpeſſent eſſe communia Provincijs: utpote quum civium omnium (quales tunc non ſoli Romæ Urbis incolæ ſed & Provinciales habebantur) ex æquo interſit, leges ſecundum quas ſit vivendum haud ignorare, debeatque earum peritia non multùm eſſe difficilis; cujuſmodi redditur, ſi non niſi ex remotis locis queat peti atque addiſci. Imo vero dixeris, merito Romam non fuiſſe aptam inſtituendæ Provincialium juventuti, ob mores diſſolutos & ingentem luxum. Priſci certè Romani ipſi, nondum illa vitæ corruptela invaleſcente, liberos ſuos maluerunt in Provincijs educari. Nec vero alia de cauſa, jam tum Strabonis

nis ætate, nobiliſſimi Romanæ juventutis Atticæ peregrinationis vice Maſſiliam ad capeſſendas diſciplinas ſunt profecti, quod ille narrat *l. 4* : quoniam ſcilicet *ea civitas ſeveritatis & patrii moris eſſet cuſtos acerrima*, ceu Valerius Maximus loquitur *l. 11 c. 6 nullum aditum in ſcenam mimis dans: quorum argumentum majori ex parte ſtuprorum continebat actus: ne talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumeret.* Prudenter ſane idipſum de C. Julio Agricola ſocero ſuo obſervavit Cornelius Tacitus, ſcribens: *Arcebat eum ab illecebris peccantium, præter ipſius bonam integramque naturam, quod ſtatim parvulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerat, locum Græca comitate & Provinciali parſimonia miſtum ac bene compoſitum.* Verum etiam hoc multis oſtendere excedit hujus argumenti noſtri limites: nec eſt cur anxie velimus huc congerere illa remota & longinqua.

De proximorum Legis finium cũ ultimo cõvenientiâ accuratius diſquiritur.

Illud huic loco proprium eſt videre, num illa, quæ proxime ſpectaſſe Imperatorem Lege hac noſtra, ſupra diximus, ſatis ſint publico uſui conſentanea. Videtur autem etiam illud propemodum juſta carere dubitatione. Si enim ex re eſt, ut juvenes

1. nonnulli ſtudiis liberalibus incumbant, utique uſus etiam publicus poſtulat, ut illi legibus latis ad diligentiam adhibendam, moresque recte componendos, conſtringantur. Certe prius ſi velis poſterius non potes nolle. Intereſt vero hoc publice, non tantum ſi civium quæras ſalutem, ſed etiam ſi dominantibus maxime ſtudeas. Nam & ſervos habere frugi atque à vitiis alienos, commodum domini eſt: haberi autem illi tales nequeunt, niſi caveas ne pravo illi conſortio corrumpantur. Eo magis vero danda eſt opera ſummæ poteſtati, ut juventus ſtudioſa probis moribus imbuatur, quo magis illa in uſum reipublicæ educatur. Seminarium videlicet illa eſt eorum qui aliquando fungi debent magiſtratibus & judiciis, aliisque reipubl. actibus præeſſe: quos utique omnes virtute par eſt inſtructos eſſe, atque ideo ad omnem virtutem probe diligenterque educari. Saltem igitur primum illud, nempe quod Cæſar voluerit juvenes Romæ ſtudiorum cauſſa commorantes in officio contineri, & ne Urbana laſcivia perderentur prohiberi, bene ſeſe habet, & Imperii ſcopo ultimo ſatis eſt conſentaneum.

Par

Par pene ratio videtur eſſe illius quod tertio loco Cæſarem ſpectaſſe affirmavimus. In omni enim republica & herili pariter & civiliore quavis perutile eſt, ut cives omnes haud ſint ignoti ſummæ poteſtati, quoad fieri ejus licet. Nec enim commode illi poſſunt uſibus publicis adhiberi, ſi ignoretur quid valeant aut nequeant præſtare. Ut autem illi qui digni & apti ſunt admoveantur muneribus reipublicæ cedit non minus regentium commodo quam eorum qui reguntur, adeoque publice privatimque omnibus utile eſt. Scio quidem paſſim hoc ipſum negligi hodie, nec ipſoſmet Romanos Imperatores omnes perinde in hoc aliquam curam impendiſſe: at non eſt quare aliquorum negligentia opponi mereatur uſui tam manifeſto. Certe hac quoque fini inſtituiſſe in Urbe cenſum Servium Tullium Regem, & ab Auguſto Cæſare idem tentatum in Provinciis, ac Breviarium Imperii confici curatum, manifeſtum eſt. Tale quid ex parte propoſitum fuiſſe reipublicæ Ebræorum in accurata illa populi univerſi usque ad decurias diviſione, quam (quod mireris) & Ingæ Peruanorum monarchæ obſervarunt, ceu docet Acoſta *l. 6 Hiſtor. Americanæ* II.

 c. 13

c. 13 haud injuria itidem dixeris. Quin & Ægyptiorum Reges, dum voluerunt quemvis civium profiteri qua arte vitam ſuſtentaret, idem videntur agitaviſſe. Certe & Imperatoribus & Studioſæ juventuti pariter fuiſſe utile, quod Cæſares voluerint ſingulorum nomina & actus ſibi perſcribi, *quo merito ſingulorum inſtitutionibusq; compertis, utrum quandoq; ſibi eſſent neceſſarii, judicarent*, vix poteſt à quoquam dubitari. Nec vero non etiam diligentiam juvenum excitavit ſedula illa Imperatoris inquiſitio: præſertim cum per literarum ſtudia unusquisque ad honores conaretur pervenire, hi vero Cæſareo favore maxime eſſent impetrandi. Enimvero ſi & noſtro ævo talis Principum aliorumque inquiſitio obſervaretur, rectiùs indubie haberent ſeſe artium liberalium ſtudia, & aliorum ſocordia excuteretur, aliorum compeſceretur protervia ac petulantia, aliorum denique induſtria ad ſummos præclarosque conatus accenderetur.

III. Poſtremo & illud, quod cautum voluit Imperator, ne ſcilicet peregrinatio juvenum diuturnior & ſtudiorum prætextus, Provincialium & patriæ civitatis

tatis oneribus fraudi foret, publice interfuiſſe, fortaſſis haud poteſt eſſe occultum. Exigit enim utiq; ſalus reipublicæ ut neceſſaria onera quisq; pro virili ferat: ideoq; legibus quamvis inviti in id ſunt omnes adigendi. Prodeſt etiam, non permittere, ut quis pro arbitratu patriæ civitati ſeſe queat ſubducere: alioquin enim civitas ob infortunium aliquod civibus viduari & brevi ad incitas poſſit redigi. Crudiuſculum videlicet eſt illud, quod Tryphoninus *l. in bello ff. de capt. & poſtlim.* refert Sabini pronunciatum: *de ſua qua civitate cuiq; conſtituendi facultas libera eſt:* niſi accipias non de eo quid expediat, ſed quid Sabini ævo licuerit. Quemadmodum Cicero *pro Balbo* laudans jus illud, *ne quis in civitate maneat invitus, fundamentumq;* appellans *libertatis, ſui quemq; juris & retinendi & dimittendi eſſe dominum*, ut Orator quidem eſt ferendus, non tamen ut prudens Politicus. Tantum certè abeſt id probari debere, ut ne ſocietati quidem alicui fas ſit, ut ſocius quisque illi renunciet pro lubitu, *ſi ſocietatis interſit, non dirimi ſocietatem. Semper enim non id quod privatim intereſt unius ex ſociis ſervari ſolet, ſed quod ſocietati expedit*; ut præclare loquitur

Procu-

Proculus apud Paulum *l. Actione ff. pro ſocio.* Hinc ſi non ante, ſaltim jam ſeculo Chriſtiano tertio, quod idipſum ſalus publica exigeret, videntur Cæſares caviſſe, ne quis translato etiam domicilio municipii ſui muneribus obeundis ſolveretur: quantum colligere eſt ex verbis Ulpiani *l. 1 ff de Decurionibus:* & reſcripto Alexandri Imperatoris *l. 1 Cod. de municipibus:* exinde vero idem ſtrictim eſt obſervatum, & plurimis repetitis legibus, quarum affatim habet Codex uterque, confirmatum. Tanto bono, tamque utili in publicum inſtituto, proinde non etiam debuit quovis ſtudiorum obtentu fraus fieri. An tamen illud diſcedendi ex Urbe & patriam repetendi tempus debuerit juventuti præfigi, quod Lex noſtra conſtituit, non multò poſt inquiremus. Quæ jam diximus hoc quidem loco ſuffi. ciunt.

DE MATERIA CIRCA QUAM Lex verſatur, ſeu de Studioſa juventute Romana.

Igitur ſcopi quidem proximi Legis noſtræ bene ſeſe habent. De eo autem quod materiæ loco eſt idem probare, ne quidem eſt neceſſum; usque adeo id liquidum eſt. Studioſa nimirum juventus Romæ peregrinata, eſt illa (ſi ita loqui licet) materia, circa quam actus omnes, qui Lege mandantur, ſunt exer-

exercendi. Sed nemo non videt, aptam illam eſſe quæ ſcopos iſtos aſſequatur, modo per actus idoneos, & ab ijs qui idonei ſunt, ducatur. Quidni enim juvenes ita queant educari, uti diligentiam literis impendant bonisque artibus imbuantur? Quid prohibet, quo minus caveatur; ne literaria ingenuorum adoleſcentum ſtudia fraudi ſint muneribus ſuæ cujusque patriæ? Quid denique obſtat, quare ſingulorum in literis & moribus profectus Principi haud ſignificetur? Certe & juvenes ipſi ad iſthæc omnia ſunt idonei: nec poſſunt deeſſe prudenter inſtituti actus aut perſonæ utiles hiſce efficiendis. At vero quando materia aliqua ita eſt compoſita, ut per idoneos actus & agentem cauſam idoneam propoſitum ſcopum queas aſſequi, tum utique recte illa ſe habet, nec in ea quidquam merito deſideratur: ceu jam tum ante monuimus.

DE FORMALI CAVSA, ſive de norma eorum quæ Lex juſſit agere.

Licet igitur & hunc locum deſerere; atque ad examen illius normæ quam Lex noſtra actibus ipſis præſcribit, id quod potiſſimum eſt, progredi. Nec vero in Efficientem cauſam rite inquirere poſſumus, niſi hoc præmiſſo. Videamus ergo ordine actus omnes; & quidem maxime, quemadmodum

Lex velit illos inſtitui, vel quod idem eſt, qualem actibus illis *formam* Lex præſcribat.

Actus primus. Initio igitur jubet Lex, ut *quicunq; ad Urbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad Magiſtrum cenſus, Provincialium Judicum, à quibus copia eſt danda veniundi, ejuſmodi literas proferant; ut oppida hominum & natales & merita expreſſa teneantur.* Heic primùm occurrit, quod ſine Provincialium Judicum venia non licuerit cuiquam Romam ſtudiorum cauſſa proficiſci. Jam ſupra videlicet faſſus fui me latere, num in univerſum fuerit vetitum, haud impetrata Iudicum venia aliò migrare. At vero intereſt reipublicæ, ſaltim non cuivis liberum peregrinandi arbitrium permittere; non certe ijs, qui in republica valent auctoritate, aut quorum diſceſſu republica poteſt in diſcrimen vocari, ſive ne alibi res novas moliantur, ſive ne ſeſe reipublicæ temere ſubducant. Hinc ſane jam olim edixit Auguſtus Cæſar, ne quis Senator injuſſu ſuo extra Italiam peregrinaretur; imo jam ante Cæſar Julius Dictator vetuit, ne quis civium viginti major annis plus triennio abeſſet Italia, neve Senatoris filius magiſtratusque comes peregre proficiſceretur veniâ

non

non impetrata. Ne Epiſcopi quidem primitivæ Eccleſiæ alio fine formatarum, quas appellaverunt, epiſtolarum uſum introduxerunt. Multis pòſt ſeculis non ſemel Anglorum etiam Reges ſimpliciter vetuerunt, ſeſe inconſultis ex Inſula migrare. Idem hodie & Moſchos & Sinenſes obſervare, eſt notum. Alibi in bene conſtitutis rebuspublicis paſſim illa arbitraria proficiſcendi peregre licentia ſaltim magnatibus denegatur. Quicquid verò olim, quo tempore lata eſt Lex noſtra, obtinuerit in Romano Imperio: certe quod non niſi Judiçum Provincialium conſenſu licuerit juvenibus Romam petere, per fuit utile conſervandis Provincijs; ne nimirum clanculum juvenes muneribus publicis ſeſe ſubducerent. Non parum quoque fecit ad morum culturam; ne videlicet facinore perpetrato alibi quis latebras quærens effugeret pœnas, utque ita patrij judicis perpetũa illa reverentia juvenes in officio contineret. Neutrum ſane poteſt commode teneri, niſi illa proficiſcendi licentia refrenetur,

Iiſdem de cauſis haud dubie conſtitutum eſt, ut ad Magiſtrum Cenſus literæ Provincialium Judicum perferrentur, quæ *& oppida, & natales, & meri-* Secundus Actus.

 meri-

merita adventantium docerent. Et morum ſcilicet cultui hoc profuit, & provincialium munerum exercitio. Neque enim fraus aliqua temere fieri potuit annalibus legibus capeſſendorum in Provincijs munerum, ab ijs etiam qui Romæ procul à patria degebant; quoniam facili negotio quiſque potuit domum revocari à magiſtratu Provinciali. Certè à Præfecto V. Romæ nemo potuit commodè reipublicæ cauſſa in patria oppida juſto tempore remitti, niſi per ejuſmodi tabulas antehac *natales* & *oppida* innotuiſſent. Non minus vero hoc ipſum mores etiam juvit, Nec enim aliquis flagitioſæ vitæ juvenis bene *meritorum* teſtimonium publicum potuit Romam deferre: atq; adeo Romam tunc nemo temere ſtudiorum gratia migravit, niſi idem perſpectæ eſſet integritatis. Quantum porro virtutis fuit calcar à Judice Provinciali exſpectare aut ferre natalium, ſæpe nobilium aut aliàs eximiorum, & cumprimis bene actæ vitæ, publicas tabulas!

Tertius Actus. Sciſcit deinceps Lex, ut juvenes, *in primo ſtatim introitu profiteantur, quibus potiſſimum ſtudiis operam navare velint.* Per autem etiam illud fuit utile, ad juvenes in ſtudijs & officio continendos.

Ita

Ita ſane demum commode potuit in illorum diligentiam inquiri à magiſtratu. Et haud dubie ipſummet ingenuum quemque ac bonæ indolis juvenem puduit, profeſſione illa ſeſe indignum præſtare. Certe ipſa illa ſolemnis *profeſſio* incitamento fuit ad ſtudia profeſſa majore induſtria ſectanda, ſaltim iis qui erectiore fuerunt animo. Quin valuit quoque hoc ipſum ad id, ut potuerint Imperatori à magiſtratu indicari publicis tabulis, cujuslibet juvenis bene in ſtudijs alijs atque alijs collocatæ operæ. Certe absque illa profeſſione ſolemni, nihil non horum minus recte præſtari, ferme in propatulo eſt.

Ad acuendam porro juvenum diligentiam & bonos mores cumprimis etiam juvit, quod à Cæſare ipſi magiſtratui publico fuerit injunctum, *ſollicite* omnino, non perſunctorie, *nota* ſibi reddere juvenum ſingulorum *hoſpitia*. Nam hoc ipſo cautum fuit, ſaltim ne forte locis minus honeſtis hoſpitarentur juvenes, atque ita ipſa hoſpitiorum ſcabie (ut ita loquar) inficerentur. Potuit vero hoc ipſo eo rectius in actus omnes juvenum à magiſtratu inquiri, Imo ipſimet juvenes, conſcii quaſi, in perpetuo ſe conſpectu vivere magiſtratus, neque in ipſis hoſpi- *Quartus Actus.*

tiis poſſe vitijs aut ſocordiæ latebras inveniri, non potuerunt non ultro, tacti illa reverentia, ad operam ſtudijs dandam magis ſolito incitari. Hoc ſane ſpectaſſe Valentinianum, ipſamet indicant illa verba Legis: *quo ei rei impertiant curam quam adſeruerint expetiiſſe:* quibus utique indicatur, voluiſſe Cæſarem, iſtac notitia publica hoſpitiorum, accendere ingenuorum adoleſcentum ſtudia.

Quintus Actus. Etiam illud bene habet, quod Imperator non quidem Studioſos juvenes interdixerit omni *conventu*, ita tamen in *conventibus* ſeſe gerere juſſerit, ceu decet eos qui famam integram ſectantur, & omnes conſociationes fugiunt: imo quod horũ quoque curationem voluerit magiſtratui eſſe publicam. Fuere ſcilicet conventus complures honorati atq; utiles, cum ſacri tum profani: quibus interdum miſceri, potuit juvenibus in omni vita apprime eſſe utile: utpote qui, ſaltim exemplo virorum gravium & magnorum, quibus conventus multi conſtabant, ad præclaros conatus potuerint erigi. In illis vero conventibus turpe quidquam committi profecto non debuit, aut turpiter commiſſum tolerari: ſaltim ne quid dignitati conventuum illorum decederet:

cederet: quod jam antehac monuimus. Multo minus fas fuit, tale quidpiam committi ab iis qui animi probe excolendi cauſſa Romam peregre adventaverant, poſt hac futuri ſeminarium reipublicæ in Provinciis & ſua cujusque patria. Multo minus tolerari *conſociationes* debuerunt, utpote quæ tumultus moveant, & cum illos conventus publicos vehementer turbaſſent, tum juvenum ferociam incendiſſent ad peſſimæ notæ facinora. Bene enim Imperator tales *conſociationes* dixit *proximas* eſſe *criminibus*, ac proinde non multo mitioribus pœnis in eas animadvertendum fuit. Si in juvene ſane toleres *criminibus proxima*, perinde eſt atque ſi illum invites adultum ad crimina ipſa.

Cæterum de eo quod ſequitur in Lege noſtra non injuria dubites. Neque enim Imperator interdixit omnibus *ſpectaculis* aut quibusdam juvenes, ſed tantum juſſit: *ne ſpectacula ſæpius adirent.* Jam vero ſcenica ſpectacula pene in univerſum omnia quid dederunt non ſpurcum & obſcœnum? Quid arenæ exhibuerunt non ſævum & crudele? Etſi enim jam Conſtantinus Magnus cruenta gladiatorum ſpectacula removiſſet, ea lege quæ hodie *Sextus Actus.*
quoque

quoque legitur *Cod. Theodoſ. & Juſtinianeo tit. de gladiatoribus*, arenariorum tamen cum beſtiis pugnæ & commiſſiones non deſierunt niſi cum Occidentalis Imperij excidio. Hinc ſuo adhuc ævo in ſpectacula illa hiſce verbis invectus eſt *l. 6 de gubern. Dei* Salvianus: *Nihil ferme vel criminum vel flagitiorum eſt quod in ſpectaculis non ſit. Vbi ſummum deliciarum genus eſt mori homines, aut, quod eſt morte gravius acerbiusq́ꝫ, lacerari, expleri ferarum alvos humanis carnibus, comedi homines cum circumſtantium lætitia, conſpicientium voluptate. Hoc eſt non minus pene hominum aſpectibus, quam beſtiarum dentibus devorari. Atqꝫ ut hoc fiat, orbis impendium eſt. Magna enim cura id agitur & elaboratur: adeuntur etiam loca abdita, luſtrantur invii ſaltus, peragrantur ſylvæ inexplicabiles, conſcenduntur nubiferæ Alpes, penetrantur nivifera valles: & ut devorari poſſint à feris viſcera hominum, non licet naturam rerum aliquod habere ſecretum.* Haud dubie autem illa etiam crudelia ſpectacula incautam juventutem allicuerunt. Exemplo ſane eſt ipſe Alypius, vir deinceps multæ ſanctitatis: quem juvenem licet ac literarum ſtudioſum

ſum & Carthagine tamen & Romæ addictum fuiſſe Amphitheatralibus gladiatorum ludis, conqueritur longe ſanctiſſimus Auguſtinus *l. 6 Confeſſion.* Porro & Circenſia omnia ſaltim inſaniæ & vanitatum fuerunt plena. Atque adeo ita plane ſeſe habuerunt ſpectacula, quemadmodum ſanctiſſimus ille Presbyter Maſſilienſium ſcripſit: *Quicquid immunditiarum eſt, hoc exercetur in theatris: quicquid luxuriarum, in palæſtris: quicquid immoderationum, in circis: quicquid furoris in caveis. Alibi eſt impudicitia, alibi laſcivia, alibi intemperantia, alibi inſania: ubiq; Dæmon, imo per ſingula ludicrorum loca univerſa dæmonum monſtra.* Eapropter prima illa & aurea Chriſtianiſmi ætas ab hiſce ſpectaculis omnibus abſtinuit, imo in ſacri fœderis cum Chriſto incundi formulam recepit illa: *abrenuncio Diabolo & pompæ ejus:* ſpectacula annumerans *Diaboli pompæ.* Quomodo eam vocem quoque Tertullianus, Cyprianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Salvianus & alii ſunt interpretati. Hinc ſane Iſidorus Hiſpalenſis l.18 Origin. c.59: *Hæc ſpectacula*, inquit, *crudelitatis & inſpectio vanitatum, non ſolum hominum vitiis ſed & dæmonum*

juſſis inſtitutæ ſunt. Proinde nihil eſſe debet Chriſtiano cum Circenſi inſania, cum impudentia Theatri, cum Amphitheatri crudelitate, cum atrocitate Arenæ, cum luxuria Ludi. Deum enim negat qui talia præſumit: Fidei Chriſtianæ pravaricator effectus, qui id denuo appetit, cui in lavacro jampridem renunciavit, i. e. Diabolo, pompis & operibus ejus. Ea autem cum fuerint olim ſpectacula Romana, quî potuerunt iis intereſſe adoleſcentes, iſthac ætate quæ cerea eſt in vitium flecti? Ut boni ſane & innocentes introierint, non potuerunt non corrupta mente exire. *Adulterium diſcitur*, dicebat recte Cyprianus, *dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortaſſe ad ſpectaculum matrona proceſſerat, revertitur impudica.* Vel ut verbis utar Salviani: *qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur.* Et vero quî evitari hæc labes potuit ſaltim in theatro, omnibus ſenſibus vitiorum vi occupatis? Bene nimirum idem Salvianus: *Alia crimina ſingulas ſibi ferme in nobis vendicant portiones: ut cogitationes ſordidæ animum, ut impudici aſpectus oculos, ut auditus improbi aures: ita ut cum*

ex

ex his unum aliquod erraverit, reliqua poſſint carere peccatis: in theatris vero nihil horum reatu vacat, quum & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluantur. Quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, ut etiam explicare ea quisquam atque eloqui ſalvo pudore non poſſit. Enimvero præclare Ariſtoteles monet, in bene conſtituta republica prohibendum eſſe, *ne pueri illiberale quid vel audiant vel videant.* Quanto majore indiget cura adoleſcentum ætas! Nec enim puerorum imbecillitas vitiis vel æſtimandis vel amandis par eſt, at adoleſcentia jam ſufficit iis exercendis. Ut proinde hi longe magis ab ejuſmodi peccandi illecebris ſint removendi quam pueri. Igitur multò videtur fuiſſe conſultius futurum, ſi Cæſar omnibus omnino, vel certe ſaltim ſcenicis omnibus, ſpectaculis ſtudioſos adoleſcentes abſtinuiſſet. Minimùm omnium debuiſſet illos non niſi certo & definito tempore ad ſpectacula admittere. Ad quem modum Theodoſius Magnus circumſcripſit Judices ſive Rectores Provinciarum *l. 2 C. Theod. de ſpectaculis.* Verba Legis ſunt: *Nullus omnino Judicum aut Theatralibus ludis, aut Circenſium certamini-*

bus, aut Ferarum curſibus vacet, niſi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel Imperii ſumus ſceptra ſortiti: hisq; ut ante meridiem tantum ſolemnitati pareant, poſt epulas vero ad ſpectaculum redire deſiſtant. Utique intra paucos certos dies, & intra pomeridianum tempus (ne antemeridianæ horæ ſtudiis perirent) conſtringi juvenes & potuiſſent, & ſummo cum uſu publico privatoque debuiſſent. Nec enim, permiſſa ſpectandi licentia, potuit facile caveri, ne juvenes *ſpectacula frequentius adirent*: utpote cum illud quidem non perinde facile obſervatu fuerit magiſtratibus quibus illa cura commiſſa erat, præſertim cum ſpectacula variis in locis Urbis fuerint inſtituta. Neſcio num & ſolemnes feriæ Natalis diei Urbis Romæ Spectaculis fuerint celebratæ. Veriſimile id tamen. Etiam vero ad hæc haud dubie admitti Romani ſtudioſi potuerunt: quandoquidem placuit Imperatoribus, natali illo die non Romæ duntaxat ſed etiam Conſtantinopolitanæ Urbis, feriari ipſaſmet res omnes forenſes: illis enim Urbibus *debere Jura deferre, quia ab ipſis quoq; nata ſunt*, ut loquitur lex 2. Cod. Theodoſ. tit. de feriis.

Simi-

Similiter in Lege noſtra fortaſſis haud ſatis prudenter, juvenes tantum *appetere vulgi intempeſtiva convivia* prohibentur: cum videatur fuiſſe magis in rem, illos ab omnibus iſtis vulgi conviviis arcere. Fuerunt ſcilicet & convivia ſolemnia tunc laſcivia & luxu infamia. Id ſane vel ex iis quæ ſupra ex Tertulliani apologetico & canone ſexageſimo Africano produximus, palam eſt. Et vero rigidi virtutis ſectatores primi Chriſtiani epulas publicas illas, tanquam ſanctimoniæ profeſſionis ſuæ adverſas, ſtudioſe vitaverunt. Quam ſpurca certe fuerint tum feſta convivia, diſcere etiam eſt ex phaleucis quos *epiſtola undecima l. 8.* Sidonius Apollinaris inſeruit: *Septimus Actus.*

Heic cum feſta dies ciere raucos
Cantus ceperit, & voluptuoſam
Scurrarum querimoniam crepare, &c.

Perſtrepebant nimirum paſſim omnia convivia laſcivis cantibus, non juvenum duntaxat ſed etiam meretricularum. Primus enim Theodoſius Magnus Imperator, poſt latam denique hanc Legem noſtram, fidicinas aut pſaltrias eliminavit, præclara illa Conſtitutione quæ Codicis Theodoſiani *l. XV*

tit. de Scenicis continetur: *Fidicinam nulli liceat vel emere, vel docere, vel vendere, vel conviviis aut ſpectaculis adhibere.* Non deerant conviviis porro & thymelici ac pantomimi, *corruptelarum diſciplina*, quomodo eos eleganter appellat Lactantius. Unde graviter cavet in hunc modum canon Laodicenus LIV, qui eſt Codicis canonum univerſæ Eccleſiæ, cujus reſtitutionem Chriſtophoro Juſtello debemus, centeſimus poſt quinquaſimum octavus: *Quod non oportet ſacerdotes aut clericos ſpectacula aliqua contemplari in nuptiis vel conviviis; ſed antequam thymelici ingrediantur eos fugere & diſcedere.* Si autem Sacerdotibus non fuit fas ſpectare illa conviviorum ludicra, qui tamen erant ætate adulta & pectore contra vitia magis roborato, quanto minus ad ſpectacula illa convivalia admitti debuerunt teneri adoleſcentes! Præclare & propemodum ſancte Juvenalis Sat. XIV:

Nil dictu fœdum viſuve ea limina tangat
Intra quæ puer eſt. Procul hinc, procul inde pu-
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti. (ellæ
Maxima debetur puero reverentia.

Non autem puero duntaxat ſed etiam adoleſcenti & ju-

& juveni illa debetur reverentia: imo his maxima debetur, quia omnium facillime corrumpuntur præ pueris. Taceo nunc conviviòrum illorum vinolentiam, quæ itidem adoleſcentibus ad virtutem inſtituendis, cane pejus & angue, quod ajunt, vitanda eſt. Non urgebo etiam, quod cum conviviis illis intereſſe licuerit Studioſis, non potuerint, vel certe vix potuerint, Cenſuales cavere, ne juvenes iſti *adpeterent vulgi intempeſtiva convivia:* atque adeo Lex ſperato effectu caruerit.

Enimvero haud equidem dubito, longe rectius fuiſſe conſultum moribus juvenum, ſi vel nulla ſpectacula aut convivia ejuſmodi fuiſſent edita, vel ſaltim ijs omnibus fuiſſet juventuti interdictum. Potuiſſet autem haud difficulter id caveri à Cenſualibus, præſertim ſi illi liberalium artium Studioſi habitu aliquo fuiſſent à reliquo numero diſtincti. Ita ſane potuiſſent facile notari & obſervari, in illa immenſæ Urbis infinita quaſi hominum multitudine.

Et vero haud immerito etiam hoc quis deſideraverit in noſtra Lege, quod juvenes illos ſingulari aliquo veſtitu oculis & cenſuræ Cenſualium non expoſuerit, cum tamen vellet eos cum cura obſer-

obſervari. Verum de hiſce fortaſſe plus ſatis: Pergendum eſt in Legis noſtræ cenſura.

Octavus Actus. Sequitur autem in Lege; permitti, ut *ſi quis non ita in Vrbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat,* Primum *publice verberibus adficiatur*, Secundo *navigio ſuperpoſitus abjiciatur Vrbe*, Tertio *domum redire compellatur.* Num vero hæc animadverſio non ſit juſto gravior, vehementer metuo. Publica videlicet verberatio ignominiam addidit. Sed adoleſcentem ingenuum, ætate tenera, & vitio forte loci, indigne ſeſe gerentem ſtudiis liberalium rerum, ſtatim ignominia afficere, nimis videtur durum. Pro magno peccato dicebat ille paulum ſupplicii ſatis eſt patri. Quamobrem itaque Imperator intendit pœnas incautæ adoleſcentiæ peccato, verberationem alias non promerenti? Certe infamem reddere adoleſcentem, quid aliud eſt pene, quam ad deſperationem adigere, & ſecuturæ vitæ omni præripere ad laudem & gloriam reditum? Quod ſi ſolis conſociationibus aut turpibus criminibus pœnam ejuſmodi dictaſſet Cæſar, forte non eſſet juſtus dolori aut querelæ locus. At Lex

univer-

univerſim in omnem qui aliter ſe geſſerit atque liberalium rerum dignitas expoſcit, ita permittit animadvertere. Non accuſo, quod Lex ſontes adoleſcentes Urbe exigat, & domum ad ſuos remittat. Nec vero ferendi erant in Urbe, ubi exſpectatione indignos ſe præbuerant: parentum itaque & amicorum ſeveræ diſciplinæ merito erant reddendi. Sola verberatio diſplicet. Notandum tamen; non juberi illam animadverſionem ſed tantum permitti. An fortaſſis igitur tantummodò in terrorem hæc ita Lex ſcivit? Non me latet tamen, Valentinianum Imperatorem noſtrum fuiſſe ſeverum & aſperum immitemque in pœnis: docente idipſum præter alios Ammiano Marcellino *l.XXVII c.15. l.XXIIX c.3. & l.XXX c.27.* Ex eodem Marcellino novimus, quo tempore lata eſt Lex noſtra, Maximinum Vrbicæ annonæ curatorem, hominem crudelem, Olybrio Præfecto ægrotante, acerrimis pœnis ſæviiſſe in Romanos cives, & hoc nomine Valentiniano fuiſſe acceptiſſimum, imo Imperatorem ab illo homine, ad ſtatuenda præter morem crudeliora ſupplicia, fuiſſe quaſi efferatum. Prolixe enim ſævitiam hujus Maximini perſequutus eſt Ammianus

l. XXVIII prioribus integris undecim capitibus. Igitur haud iniuria forte ſuſpiceris, juvenili nonnullorum petulantia irritatum Maximinum, ſuggeſſiſſe Imperatori iſthæc dura, & perſuaſiſſe: *ut erat* Valentinianus *acer vitiorum inimicus magis quam ſeverus.* Quicquid hujus ſit, verberationem publicam haud facile probaverit quis conſcius juvenilis conditionis, atque ejus quod ex pœnis exſpectari debet commodi.

Nonus Actus Cæterum nec illud prudens aliquis laudaverit, quod Lex vetet, quenquam Romæ ultra annum ætatis viceſimum ſtudiis dare operam. Nec vero tale quidquam reipublicæ uſus poſtulavit, & fuit ſtudijs ipſis maxime adverſum. Quid enim præclari in liberalibus ſtudiis præſtiteris, ſi iſthac ætate à magiſtris divellaris? Quid cumprimis præſtiteris in Juriſprudentia addiſcenda, adeo citò ejus ſcholas deſerere coactus? Fateor equidem, non debuiſſe ſtudia juvenum fraudi eſſe Provincialibus municipijs, aut eorum obtentu vitari munera neceſſaria publica. At vero non ea fuit utique omnibus in locis idonearum perſonarum inopia, ut ſine diſcrimine omnes, abrupto ſtudiorum curſu, tantum viginti annos nati patriæ debuerint ſeſe ſiſtere

ſtere. Imo iſthac ætate ad munia reipublicæ capeſſenda plærique nondum ſunt idonei. Agnovit hoc prudenter Ulpianus: cujus verba ſunt *l. 8. ff. de muneribus & honoribus*: *Ad rempublicam adminiſtrandam ante viceſimum quintum annum, vel ad munera, quæ non patrimonii ſunt, vel honores, admitti minores non oportet: denique nec decuriones creantur, vel creati ſuffragium in curia ferunt.* Prudenter etiam *l. 11 ff. de Decurionibus & filiis eorum* Calliſtratus Juriſconſultus: *Non tantum qui teneræ ætatis, ſed etiam qui grandiores natu ſunt, decuriones fieri prohibentur; illi quaſi inhabiles rempublicam tueri, ad tempus excuſantur, hi vero in perpetuum amoventur. Neque enim minores viginti quinque annis decuriones allegi niſi ex cauſſa poſſunt.* Iam vero munera patrimonialia non profecto in tantum fuerunt vel neceſſaria reipublicæ vel etiam utilia, ut ſtudia, quæ utique in reipublicæ uſum maximum exercentur, debuerint à juvenibus abrumpi vel ſufflaminari. Itaque conſultius profecto fuiſſet, tantiſper in literis Romæ commorari ſinere juvenes rerum ſuarum ſatagentes, donec à patria republica avocarentur, imo vacationem illis dare ſaltim uſque ad annum viceſimum quintum; quemadmo-

dum Beryti degentibus illam indulſere Diocletianus & Maximianus Cæſares: imo potius debuiſſent illi excuſari uſque ad annum triceſimum, quem lex Papia, teſte Plinio, Bithynis definivit ad honores capeſſendos. Certe non urgente ulla patriæ neceſſitate, juvenes tenera adeo ætate etiam *invitos* à ſtudiis abrumpere, eſt propemodum reapſe ſtudia ipſa quaſi in herba ſuffocare, idque cum inſigni reipublicæ detrimento. Arguit fortaſſis hæc etiam res, ſuggeſtam eſſe Cæſari Legem, ab homine nulla ſolida eruditione inſtructo. Quem ut Maximinum illum fuiſſe, etiam hinc liceat ſuſpicari: quoniam ille, teſte Ammiano, non niſi *poſt mediocre ſtudium liberalium doctrinarum defenſorem* egerit *cauſſarum ignobilem.*

Decimus Actus. Quum hæc vero ita ſeſe habeant, non difficulter quoque apparet, haud fuiſſe opus illa curioſa Cenſualium diligentia, quam adhibere debuerunt per ſingulos menſes, in deferendis illorum nominibus, qui exacto viceſimo anno in patriam à Præfecto Urbis fuerunt remittendi. Potuiſſent nimirum juvenes gnavi longe rectius tantiſper Romæ relinqui, donec patriæ neceſſitatibus fuiſſent avocati. Nihilo-

minus

minus tamen ex uſu fuit publico, Urbis Præfecto *per ſingulos menſes* indicari, *qui vel unde Romam veniſſent.* Nec enim absque hoc indicio Præfectus Urbis curam illorum potuit ſuſcipere. Vt autem ſuſciperet, interfuit reipublicæ pariter & privatim ipſorummet juvenum, quum in omnes Romæ commorantes jurisdictio fuerit penes Præfectum, & ſub oculis quaſi degere magnorum hominum, ingens ſit juventuti ad virtutem calcar.

Quam utilis aut noxia porro fuerit illa exceptio eorum *qui corporatis erat adjuncti*, non licet pronunciare: quum mentem Legis videar mihi hac in re non ſatis aſſequutus. Vacat tamen forte dubio, neutiquam corporatis merito adjunctos Roma quoque fuiſſe pellendos, cum & ipſi fuerint in cenſu ſervorum Urbis publicorum, perinde ut Corporati Urbici alii, piſtores, ſuarii, vini ſuſceptores, collegiati, chartopratæ & nummularii. Forte tamen æquius fuiſſet, ſolvere illa ſervitute omnem liberalibus ſtudiis probe inſtitutum quamvis corporatum: atq; adeo dare libertatem liberaliter imbutis atq; erectis animis: magno ſane id fuiſſet ad virtutem incitamento. *Vndecimus Actus.*

Cumprimis vero illud laudes in Lege noſtra, *Duodecimus Actus*

 quod

quod Imperator juſſerit, per ipſum Urbis Præfectum quotannis ſibi ſignificari & ætatem & merita juvenum. Jam tum ſupra videlicet oſtendimus, quam ſit publice privatimque utile, ſi ipſi illi qui ſumma in republica ſunt poteſtate, habeant civium ſuorum accuratam notitiam. Idipſum vero quam commodiſſime potuit Cœſari innoteſcere, annua illa juvenum omnium recenſione, ab ipſo facta Urbis Præfecto. Nec vero opus fuit, *per ſingulos menſes* id fieri perinde atque apud Præfectum Vrbis; utpote quum ſatis ſit, ſi Principi tantum ſumma quæque innoteſcant, & annuo demum ſpacio queat ſingulorum juvenum induſtria & profectus in reipublicæ uſum æſtimari. Non eſt quod de ſumma utilitate extremæ hujus Legis noſtræ clauſulæ prolixius diſſeramus, quum jam ante illam multis laudaverimus, & actum agere vetet inſtituta brevitas.

De iis quæ pertinent ad CAVSAM EFFICIENTEM, ſive de iis per quos Lex efficit quædam.

Et vero tempus eſt ut ad id, quod poſtremum in Lege noſtra venit obſervandum, de *cauſſa* quam *efficientem* dicimus, aggrediamur. Expediendos ſcilicet illos quos enumeravimus actus commiſit Imperator, alios Magiſtro Cenſus, alios Cenſualibus, alios Urbis Præfecto; qui proinde cauſſa ſunt effici-

efficiens actuum à Lege præſcriptorum: bene vero an ſecus omnia hæc illis commiſerit, nondum conſtat. Dijudicari tamen haud adeo difficulter etiam id poterit, comparatione aliqua inſtituta, formam finemque actuum illorum, ut & ſtudioſam juventutem inter, ac ipſos illos quibus hæc ſunt commiſſa: prout in omni accurato examine effectricis cauſſæ fieri debere, jam tum ante profeſſi ſumus.

voluit circa Studioſam Romanam juventutem.

Atque apud *Magiſtrum Cenſus* quidem & potuit & debuit merito peregre adventantium annotatio fieri. Huic enim curæ fuerunt Tabulæ cenſuales. Imo non potuere juvenes alibi citra reipublicæ aliquam confuſionem in tabulas referri: præſertim cum ſuo tempore debuerint patriæ reddi & muneribus provincialibus exhiberi: quod absque auctoritate ſummi alicujus magiſtratus præſtari non potuit. Nihil profecto obſtat, quominus apud Magiſtrum Cenſus adventantes juvenes potuerint annotari. Nec par fuiſſet, Judicum ſive Rectorum provincialium teſtimonia, tradi viro minoris dignitatis quam erat Magiſter Cenſus: nec tabulis cenſualibus alibi confectis ſua peræque fides conſtitiſſet. Certe obtinendo illi ſcopo, qui propoſitus fuit annotationi publicæ, omnium maxime fuit idonea Magiſtri

Magiſtro Cenſus recte commiſſa ſint agenda.

Cenſus

gentiam ſingulorum auditorum, & de eorum in literis profectu judicare. Quod ſi & horum potuerit forte ſuſpecta eſſe fides (ſunt enim, fateor, ſæpenumero illi ipſis ſuis auditoribus obnoxii, & debito proinde in eos indulgentiores) debuiſſet ſaltim ſumma hujus rei curatio committi alicui, moribus & dignitate conſpicuo ſeni aut ſenectuti proximo: quo ſaltim præſente videlicet fieret per Magiſtros fortaſſis examen illud juvenum. Quemadmodum videlicet, prudentiſſimo Lycurgi inſtituto, communi educationi juventutis præfectus fuit ὁ παιδονόμος, vir in republica eximius, & re iſthac probe geſta ſummo mox magiſtratui admovendus: quod nos Xenophon docet opuſculo de Republica Lacedæmoniorum. Tanta certe eſt utilitas probæ educationis juvenilis, uti quam maxime ex uſu ſit reipublicæ, ejus curam viris magnis & perſpectæ probitatis commendare. Imo ſi juventutis numerus ſit major, ex uſu eſt, in illam curam integrũ aliquem hominem impendere. Quod proinde & Romæ debuiſſet fieri, cum ingens ibi fuerit ſtudioſæ juventutis numerus; præſertim quum illa iis maxime ſtudiis navaret operam, quibus in judiciis & republica adminiſtranda indigemus. Nec vero omnia iſthæc ad Præfectum Urbis, virum

rebus aliis longe occupatiſſimum potuerunt deferri, ut non plurima negligerentur. Minime omnium tantæ curationi Cenſuales fuere pares; præſertim cum ipſi nulla valuerint conſpicua dignitate, ſed inter officiarios ſive miniſtros fuerint computati.

Præfecto Vrbis prudenter fuiſſe mandatam jurisdictionem in Studioſos.

Jurisdictionem omnem in juvenes Studioſos *Præfecto Vrbis* eſſe commiſſam, non eſt quod improbemus. Utique enim perquam eſt ex uſu, ſi nihil aliud obſtet, publico, ut uniuſcujusque civitatis una ſit ſumma jurisdictio, atque unum ſummum tribunal. Scimus quidem, noſtris ſeculis paſſim terrarum ita vivi, ut jurisdictio Academica non ſit penes oppidi cujusque rectores ac magiſtratus; idque jam obtinere ab ævo usque Friderici I Cæſaris, poſtquam ille condidit quam dicimus authenticam, *Habita C. ne filius pro patre.* At vero inſtitutum hoc ideo eſt, quod plærique oppidanorum magiſtratus rudes tum eſſent literarum, vel homines viliores, ac proinde artium ſtudioſis, iisque ſæpe magno loco natis, iniqui & graves. Neq; vero ferendum eſt, ut hominum illiberalium injuriæ exponantur ingenui juvenes, quos ſtudiorum amor in diſſita à parentibus loca propellit. *Quis enim eorum non miſereatur* (verba ſunt Cæſaris Friderici) *qui amore ſcientiæ exules, facti de divitibus*

vitibus pauperes, vitam ſuam multis periculis exponunt, & à viliſsimis ſæpe hominibus (quod graviter ferendum eſt) corporales injurias ſine cauſſa perferunt? Quam verò Præfecti Vrbis Romæ longe fuit alia conditio, ab ea magiſtratuum iſtorum oppidanorum! Quanta ille dignitate ſemper, quanta plærumque virtute etiam ac doctrina valuit! Certe Urbicum Præfectum cum oppidanis magiſtratibus plærisq; contendere, fere eſt muſcam cum elephanto committere. Et tamen etiamnum, ubi locorum non illa vilitas eſt iſtorum qui magiſtratu funguntur, (ut in civitatibus majoribus) ipſa etiam jurisdictio in Scholaſticos ſatis probe ab urbano magiſtratu inſtituitur. Certe ſupervacuum arbitror, multis oſtendere, quam proſit reipublicæ, ut ſingulis locis unus tantùm præſit cum imperio & omni jurisdictione, niſi aliud quid vetet: ideoque non etiam eſt, quur nunc quidem addamus verbum, in defenſionem ejus quod Præfecto Urbis fuerit illa etiam in Scholaſticos jurisdictio concredita.

ATQVE ita jam à nobis etiam Politica Legis noſtræ cenſura & interpretatio eſt inſtituta. Non enim arbitror quidquam in ea ſupereſſe, dignum expenſione, quod uſum in republica obtineat. Pa- *EPILOGVS POLITICÆ INTERPRETATIONIS.*

lam vero jam eſt, non quidem illam omni ex parte vacare ſuis nævis, attamen merito laude eſſe digniſſimam: cum propter multa præclara inſtituta, tum præcipue ob conatum illum continendi in officio ſtudioſam juventutem. Recte enim Plato: *non poteſt de diviniore negotio homo inſtituere deliberationem, atque de recta pueri juvenisq; inſtitutione, qui bonus patriæ civis aliquando debet eſſe*. Imo (ut Ciceronis verba mutuemur) *nullum munus adferre reipublicæ majus meliusve poſſumus, quam ſi docemus & erudimus juventutem: his præſertim moribus & temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda atq; coërcenda ſit*. Peſſime profecto meretur de republica Legislator, qui hanc curam ſeponit. Vt proinde nec Tribonianum forte quis excuſaverit, quod non tantum ex Codice Juſtinianeo Legem hanc rejecerit, ſed neç aliam ullam, de proba juventutis ſcholaſticæ educatione, in vaſtum illud Legum corpus retulerit. Nec enim quæ de nominibus Juris ſtudioſorum ſciſcuntur, aut quæ traduntur de ludis petulantis adoleſcentiæ literariæ coërcendis, *conſtit. omnem reipubl.* ſolidam forte laudem commerentur; ſi verum licet profiteri.

HER-

HERMANNI CONRINGII

DISSERTATIO

De iis quæ in Studioſo quovis requiruntur, qui in Academia velit Studiorum fructum carpere.

Habita in publica panegyri, die XI menſis Iulii Anno CIↃ IↃ C LIV.

Cum Prorectoratum Academicum quarta vice ſuſcepiſſet.

ANnus hodie quartus poſt triceſimum agitur, quum in hanc Academiam puer à parentibus ab Oceani usque littore, Studiorum capeſſendorum gratia, fui miſſus. Tertius viceſimus eſt, ex quo itidem hac in inclyta Julia docendæ juventuti ſum admotus. Quartum jam fungor magiſtratu Academico: quem antehac adminiſtravi, bis ſemeſtri ſpacio, ſemel per integrum ſeſquiennium. Hoc triginta quatuor vitæ in Academiis peractæ annorum intervallo, haud pauca mihi obſervata, bona mala, utilia noxia, cum alia tum quæ ad res pertinent Academicas, ſi dixero, meritò id ſine jactantiæ notâ fecerim. Forte igitur etiam ſine invidia atque obtrectatione bonorum (malos enim non curo) licuerit de illis verba facere, & ſententiam animi ingenue promere. Verum dabitur aliquando occaſio fortaſſis agendi idipſum juſta prolixitate: etiam hodie tamen illius argumenti partem, non niſi exiguam licet, attingam, & quidem itidem levi duntaxat, quod ajunt, brachio.

Exordium Diſſertationis.

Duo

Propoſitio Diſſertationis.

Duo nempe cumprimis ſunt, quod nemo veſtrum ignorat, quamobrem ſcholæ Academicæ quæ appellantur inſtitutæ, quæve adeo ab iis unice ſunt expectanda. *Alterum* eſt ut ingenui adoleſcentes juveneſque ea diſcant, quæ ad reipublicæ omnis uſum ſacrum profanumque faciunt: *Alterum* ut iidem mores ſuos ita componere aſſueſcant, ut adultiores facti idonei ſint, non ſeipſos tantum regere ſed alios etiam ad omnis generis virtutem ſuo præclaro exemplo incitare. Quo in propoſito nihil utique niſi ſummâ laude dignum occurrit. Sed hujus usque adeo nobilis ſcopi quo fiamus compotes, haud difficile perſpectu eſt, poſtulari quaſi in anteceſſum haud pauca, eaque partim in Juvenum partim etiam in Profeſſorum quos appellamus ordine. Atq; in Profeſſoribus quidē quidnam merito queat deſiderari, alias fortaſſe commodius: in præſentia quemadmodum, mea quidem ſententia, Vos, O Juvenes, comparati eſſe debeatis, ſi velitis ſperatum Academicæ vitæ fructum carpere, diſſeram ego, idque paucis: nec enim hæc ad finem jam properans panegyris patitur longum ſermonem. Dicam verò nunc duntaxat, qua ratione Vos in ſtudiis omni-

omnium optime poſſitis proficere. Quomodo mores veſtri quam rectiſſime queant formari, alias docturus.

Videtur autem mihi, quæ ad ſtudiorum fructum percipiendum requiruntur, poſſe illo quaternario numero fere abunde ſatis comprehendi, quo jam pridem ſummus & ſciendi & docendi pariter artifex Ariſtoteles, dotes eorum, quos interioris admiſſionis habuit in Lyceo ſuo, auditorum comprehendit. Alias latius ex hoc ipſo loco laudavi cum alia, tum etiam illa incomparabilis viri in docendo obſervata inſtituta: inde editis in publicum diſſertationibus rem illam omnem prolixe perſequutus ſum: eoque nolo nunc illa quidem operoſe repetere. *Quatuor requiſita cumprimis ſunt neceſſaria.*

Quatuor vero iſta quæ & ille doctor ſagaciſſimus exegit, quæve adeo itidem in univerſum ego in diſcentibus omnibus, ſi quem velint ex Academica vita laborum fructum capere, quam maxime deſidero, ſunt: primo *Ingenium:* ſecundo *Amor diſcendi:* tertio *Laborioſitas* ſive φιλοπονία: quarto προπαιδεία quam haud perperam dixeris elementarem eruditionem. Atque Ariſtoteles quidem, quemadmodum iſthæc habere ſeſe debeant, ut quis poſſit

ad ſummam aliquam doctrinæ & ſapientiæ, adeoq; Philoſophiæ, laudem eniti, laboravit duntaxat: Academiarum igitur noſtrarum uſibus nonnihil aliter hæc formanda à nobis fuerint. Eſt ſcilicet Academia quaſi emporium aliquod omnigenæ doctrinæ ingenuæ. Perinde ſane atq; ad emporium accedunt mercatores, omnes quidem mercandi gratia, aliis tamen hæc aliis illa deſiderantibus, atq; adeo alii viliora, alii pretioſiſſima mercatum veniunt: ita & qui Academias ingrediuntur, omnes quidem propoſitum ſibi habent animi à doctrina cultum: (qui non habent, ſanè indigni ſunt ſtudioſorum & nomine & omni conſortio, neutiquam in tam nobili cœtu tolerandi) at nec uniuſmodi eſt ille cultus nec par omnium deſiderium, dum alii ad τὰ πρακτικὰ eaque itidem diverſi generis, alii ad τὰ θεωρητικὰ nec illa non multum diverſa, magis curam omnem compellunt. Id quod nemo prudens improbaverit: cum reſpublica egeat multa variaque doctrina; quam univerſam perinde ſinguli ut aſſequantur eſt ἀδύνατον. Taceo: quod, prout nunc mores noſtri ſeſe habent, nulla hodie in Academiis inſtituatur docendi ratio, qualis fuit olim Ariſtoteli ἀκροαμα-

τικὴ

τικὴ, & quem in uſum ille iſthæc ſua quatuor exegit Gellio teſte, ſed omnis diſciplina noſtra Ariſtoteli audiiſſet olim Ἐξωτερικὴ. Ac proinde nunc quidem quatuor iſta in quolibet Studioſo Academico, ſenſu quidem Ariſtotelico, fruſtra quæſiverimus.

Præter quatuor autem illa videtur & quintum aliquod à nobis eſſe addendum; quo in ordine videlicet ſunt computandi *mores Studiis doctrinæ convenientes*. Enimvero plurimum quoque intereſſe ſtudiorum, quibus ſtudioſus quisq; ſit moribus, liquido omnibus haud multò poſt patebit. Non enim nunc quidem tempus patitur hoc agere: imo nec cum quoquam licet jam contendere, qui quatuor tantum requirenda eſſe cenſuerit. Quin igitur potius ſtatim omnia iſthæc ordine nunc luſtrabimus: quemadmodum videlicet illa com parata eſſe debeant in Studioſo juvene, rerum quidem ſuarum ſatagente, & tuente nominis ſui dignitatem. *Eſt & Quintum requiſitū.*

Cæterum hoc agentibus initium faciendum erit ab INGENIO: quæ videlicet ejus conditio eſſe debeat ad eruditionis culturam admittendam. Venit autem Ingenii vocabulo mihi illa omnis vis, qua & res propoſitæ percipiuntur, & perceptæ dijudicantur, & utræque animo infixæ detinentur. Pertinet eo- *DE INGENIO.*

net eodem illa etiam indoles, qua aut ferimur ad res gerendas, aut à rerum exercitio abhorremus. Eſt vero omnis illius rei ingens diverſitas. Quisquis ſanè omni ingenii facultate deſtituitur fruſtra doctrinæ aliquam culturam ſperat: exeſſe itaque ille debet omni Academico quidem conſortio. Non, quaſi is qui ſui ignarus in Academiam devenerit ſive ſponte ſive aliorum miſſu, cum aliqua ſit contumelia ejiciendus. Abſit hoc. Condolendum homini merito eſt. Dimittatur itaque ille ſed cum mœrore aliquo noſtro. Major cura eſt obſervanda circa illos, qui *aliqua* dote ingenii inſtructi ſunt. In aliis enim vis percipiendi, aut etiam nullo monitore aliquid inveniendi, minor quidem eſt, judicandi tamen facultas præpollet: in aliis contra ſeſe res habet. Aliis memoria labilior eſt, aliis abundat. Alii ad res agendas alacres, alii ad actus omnes & negotia quævis torpidi ſunt, amantes quietis. Rariſſime invenias ingenium omnibus numeris perfectum. Invenire tamen eſt interdum, idque ſumma quadam & enormi naturæ liberalitate.

Qui ita feliciter ſunt nati illis perinde eſt ad quæ ſtudia ferantur: nec enim ab Ingenio unquam deſerentur.

ſerentur. Poſſunt iidem, qua ſunt capacitate, per vaſtos ſtudiorum campos animo excurrere. Ex re tamen fuerit publica, uti illi quam maxime ſeſe dedant iis quæ ab aliis vulgo non facile percipiuntur, ſunt tamen vitæ ſocietatique humanæ valde utilia: aut per omnia quidem nonnihil ſeſe diffundant, utiliſſimis tamen denique immorentur. Longe aliter autem gerere ſeſe debent ii, qui minore Naturæ indulgentia ſunt nati: quorum numerus maximus eſt. Enimvero contrahere illi ſpes ſuas debent, nec facile ad ἐυδαιμονεςάτων iſtorum exemplum ſeſe componere; quandoquidem diffuſo per omnia ingenio ſed ubivis impari, oleum & operam perdent cum aliorum ludibrio.

Igitur ante omnia Ingenii vires exploratas oportet eſſe, *Ingenium primo explorandũ eſt.*

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent

prius quam animus ad Studiorum curam appellatur. Hæc autem exploratio duplici modo inſtituenda. Aut quaſi univerſim videlicet, aut reſpectu habito ad iſthæc doctrinæ Studia quæ quis præ aliis cupit ſectari.

Atque in communi quidem neceſſum eſt, ut examen *Commune Ingenii examen.*

examen inſtituatur trium illorum, quibus Ingenium quaſi conſtare, modo diximus. Quanta nempe *percipiendi*, quanta *judicandi*, quanta denique *memoriæ* ſit facultas. Trium ſcilicet illorum eximia aliqua vis exigitur in quolibet, qui magiſtri, ſive viva ille voce ſive ſcripto libro doceat, inſtitutione debet proficere. Utique enim neceſſum eſt, ut poſſit *percipere* auditor ea quæ docentur. Requiritur autem quoque ut poſſit iſthæc ipſa *judicare*. Et vero idoneus magiſter docet non niſi adhibitis ſive rationibus ſive teſtimoniis: auditoris vero eſt poſſe judicare, num teſtimonia ſint fide digna, & num rationes propoſitæ ſufficiente probandi pondere ſint prædita. Hoc ſane niſi poſſit auditor, quaſi pſittaci ritu proficere quidem valet, ad ſolidam verò aliquam doctrinam nunquam perveniet. Ea utiq; cauſſa negavit olim Ariſtoteles, juvenem Moralis Philoſophiæ eſſe undequaque aptum auditorem: quia nimirum per ætatem judicandi Philoſophica iſthæc facultate deſtituitur. Philoſophiam inquam, non autem quamlibet moralem doctrinam. *Memoria* porro in quolibet Studioſo ſaltim tanta requiritur, ut quæ didicit firmiter animo

poſſit

poſſit comprehendere. Fruſtra ſane didiceris quod illico pereundum eſt, adeoque nulli poteſt eſſe uſui.

Ad judicandi porro vim haud injuria referenda videtur illa nativa dos, quam Ariſtoteles ἀγχίνοιαν appellat, definiturque εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου. Quâ ſcilicet inſtructus ſubito rei alicujus cauſſam poſſis conjiciendo aſſequi. Etſi autem pereximia hæc ſit Ingenii virtus, quique adeò illa eſt præditus merito laudem felicis ingenii & εὐφυΐας mereatur; rarior tamen eſt, adeoque in Studioſo quolibet non requiritur. Ubi tamen obſervatum fuerit, quemquam illo acumine illaque celeritate Ingenii per liberalitatem naturæ eſſe præditum, merito de illo ſumma quæque fas eſt polliceri; modò reliqua quæ ad eruditionem capeſſendam requiruntur, ille hactenus felici, ut ita loquar, natus ſidere juſta diligentia adhibeat. Saltim itaque inquirendum fuerit, quantum hujus ἀγχινόιας aliquis literis operam daturus naturæ beneficio ſit conſequutus: ut juſta poſſit futuri profectus exiſtimatio circa quemlibet inſtitui.

Examen Ingenii Specialius.

Præter commune autem illud Ingenii examen, eſt porrò & ſpecialius aliquod exercendum: ut quidem

dem juvenis laborum fructum certò ſibi poſſit exſpectare. Eſt nimirum ſtudiorum ingens diverſitas: atque adeo & Ingeniorum poſtulatur differens conditio, pro differentia varia ſtudiorum. Sic jam olim magnus ingeniorum cenſor M. Tullius in Scauro & Rutilio non Ingenium quidem omnino, Oratorium tamen Ingenium deſideravit: Et pridem ante illum Socrates, Glaucum nobilem adoleſcentem Atticum, etſi reipublicæ gerendæ cupiditate ad inſaniam usque flagraret, à civilis doctrinæ ſtudiis repulit, Charmidem vero & Theætetum ad eadem ille excitavit imo accendit. Diximus jam tum ante nonnihil, quanta ſit varietas Ingenii facultatum, idque ratione ſive percipiendi, ſive judicandi, ſive memorandi: ſimul quoque indicavimus, τὴν ἀγχίνοιαν raram eſſe naturæ dotem, ſolos quoque illos qui undique perfecto ſunt Ingenio ad quævis ſtudiorum genera admitti poſſe, imò illos ſolos eſſe aptos accuratiſſimæ capiendæ doctrinæ. Eſſe autem & doctrinæ ſive eruditionis perquam magnam diverſitatem; nemini non pridem eſt compertum. Hinc vero manifeſtum quoque eſt: & notum eſſe oportere quale Ingeninm unumquodque

quodque ſtudiorum genus poſtulet, & prius quam vel huic vel illi doctrinæ animum applices, inſtituendam eſſe accuratam doctrinæ pariter & Ingenii comparationem. Enimvero cum eruditio alia ſit Theoretica alia Practica, alia & ποιητικὴ ſive Operativa ut in Artibus, aliæ atque aliæ Ingeniorum dotes ſtatim exiguntur. Sunt autem & Theoreticæ & Politicæ diſciplinæ, ut & Artes, diverſæ admodum conditionis. Alia nimirum multum ſunt remota à vulgari hominum notitia, alia obvia magis & faciliora. Horum igitur priora ut Ingenium acrius expoſcunt, ita poſterioribus addiſcendis ſatis eſt Ingenium mediocre. Quædam ut reapſe exerceas, vim magnam memoriæ expoſcunt: qualia ſunt linguarum, Oratoriæ cum ſacræ tum profanæ, Cauſidicinæ, Artis medicæ, Politicæ & ſimilia ſtudia. De Ingenio ejus qui Civilem Philoſophiam ſive addiſcere duntaxat, ſive etiam velit exercere, & quidem per varios gradus, jam tum egimus nos latius alibi: quæ igitur hic repetere haud fuerit pretium operæ. Haud multum vero diſpar eſt ratio Ingenii etiam eorum qui Artem velint Medicam facere. Ne quid nunc dicam de ſingulis aliis ſive

Scientiis, ſive Artibus, ſive & Prudentiis. Pandit ſane heic ſeſe mihi latus diſſerendi campus, de omni illa Ingeniorum, ratione habita diverſitatis Studiorum, multiplici differentiâ: ſed non patitur inſtitutum & hæc ipſa Panegyris pro dignitate argumentum hoc nunc quidem proſequi. Imo vero qui utilem adeo, imo neceſſariam operam fuerit exſequutus, equidem novi neminem. Solus ſanè, quod equidem ſciam, docere hoc aggreſſus eſt Ianus Huartes homo Hiſpanus, & quidem lingua duntaxat Caſtellana, etſi poſt nonnemo librum illum Latine verterit. Non equidem induſtriæ & conatibus viri quidquam detraxerim: ſaltim enim conatus nomine meretur ſuam laudem. Jam tum vero acrem animadverſorem invenit Antonium Poſſevinum Jeſuiticæ Sodalitatis virum celebrem, non niſi in perquàm paucis tamen; longe plurima autem quilibet intelligens deſideraverit. Fortasſis dabitur nobis occaſio argumentum hoc juſta cum cura tractandi; ſed nunc ad alia eſt pergendum.

Prius tamen quam ab Ingenii conſideratione abea-

abeamus, non poſſumus non monere, dotes illas Ingenii quæ doctrinæ capeſſendæ inſerviunt, deberi quidem potiſſima omnium ex parte Naturæ beneficio, atque adeo, ut ita dicam, radices earum unice ferendas acceptas Naturæ; attamen cultura aſſidua & idonea, poſſe plurimum creſcere. Et vero quod Memoriam attinet, pene incredibile eſt dictu, quantum accedere illi ſoleat, per Mnemonicæ artis quam vocant ſubſidia. Sed & eſt nemini facile ignotum, crebro ſi quid memoriæ mandetur, ſolere ſolo iſthoc exercitio vim memoriæ augeri quam feliciſſime. Exercitio præterea frequente reddimur utique magis magisque apti ad ea quæ docentur ab aliis percipienda. Multo maxime acuit Judicium & illam laudatam nobis *ἀγχίνοιαν*, (quæ, in actu ipſo rerum ſi occupata fuerit, ſolet Ariſtoteli *δεινότης* & *σύνεσις* appellari,) peritia primariò quidem Demonſtratoriæ ſecundariò autem & Dialecticæ artis; qualis quidem utraque ab Ariſtotele traditur: fateor enim, vulgarem utriusque artis tractationem non perinde multum prodeſſe. Quin imo & quæ idem Ariſtoteles in Rhetoricis

Dotes Ingenii nativa quēadmodū augeri queant.

docuit de inventione probabilium argumentorum noviſſe, multum promovet Ingenii circa inventionem & judicium promptitudinem. Longe maximè autem iſthæc omnia juvare ſunt apta Ingenii dotes iſtas, ſi crebro exercitio quaſi in actum deducantur. Quæ omnia tamen quemadmodum effici quam commodiſſime poſſint, nunc quidem non licet commemorare. Ut proinde jam ad ſecundum Studiorum requiſitum ſit nobis progrediendum.

DE AMORE DISCENDI.

Alterum vero Studioſi Academici requiſitum diximus eſſe *Amorem diſcendi* ſive φιλομάθειαν. Et ſanè neceſſario requiritur in Studioſo quolibet diſcendi quidam Amor. Saltim enim illi qui quaſi averſo ſunt à Studiis animo, imo & quibus otium, voluptas, aut quod aliud vitæ negotium, præ Studiis eruditionis placet, fruſtra in Academiis terunt tempus, ideoque nec temere ibi ſunt tolerandi: cum ut rectius alibi forte ſibi conſulant, tum ne cui meliori Academico intempeſtiva ſodalitate noceant, vel ſint etiam moleſti. Non profecto quicquam in Academiis profeceris, niſi animus impetu quaſi quodam ad diſcendum feratur. Et vero in ſcholis trivialibus,

bus, quas appellamus, verberibus aliisque animadverſionibus ſive torpor ſive negligentia iſthæc ſolet nonnullis excuti: quoniam in Academiis tamen iſtis caſtigationibus non amplius eſt locus, igitur oportet ut ſponte unusquisque Studioſorum Academicorum liberali quadam diſcendi cupiditate ſit inſtructus. Quo vehementior autem vel remiſſior illa cupiditas fuerit, eo plus aut minus commodi ex Studiis licet exſpectare. Enimvero quos Plato olim dixit ἐρωτικῇ μανίᾳ doctrinæ affici, illi omnibus anteferri merentur, præſertim ſi & reliqua Studiorum requiſita haud deſiderentur.

Quantumvis vero in univerſum nunquam à Studioſo Amor diſcendi debeat abeſſe: non tamen etiam ſic inſtructum eſſe ſatis eſt ad ſpem juſti Studiorum fructus. Cum ſcilicet doctrinæ genera ſint multum varia, nec fieri poſſit ut Studioſus quisque in omnibus æque proficiat, vel etiam ut ex re ipſius ſit promiſcuè quidvis velle addiſcere, neceſſarium eſt, ut φιλομάθεια ſit probe conſentanea illis Studiis quæ tractari commerentur, utque ita in gyrum aliquem certum ſapienter ſit redacta. *Amor diſcendi debet eſſe diverſus pro Studiorũ diverſitate.*

Et quidem ex vulgo haud pauci in ea ſunt ſen-

Non ſemper propenſioni Juventutis fidendum.

tentiâ, unicuivis permittendam eſſe liberam Studii alicujus eligendi facultatem. Cæterum nec ego ſuaſerim, appelli animum à quo ſtudiorum genere plane abhorret: quia nempe hîc etiam locum habet illud Horatii

Vt nihil invita dicas faciasq; Minerva

At vero, nec ſemper deſiderio adoleſcentis cujusque erga hoc aut illud ſtudiorum genus eſt obſequendum. Sæpenumero videlicet Amor ille non eſt rectæ rationi conſentaneus; ſed fertur in ea interdum quæ nec per ingenii vim nec per fortunam potes aſſequi, quin imò interdum in noxia, interdum in ea quæ tractare non permittit vitæ tuæ aut natalium conditio. Haud me fugit, eſſe nonnunquam animorum aliquam inclinationem ad varii generis ſtudia, eamque foveri quandoque diviniore quadam, aut certe naturæ tacita agitatione. Nec ergo huic quidem propenſioni, niſi urgentibus de cauſis, temere furit reluctandum. Verum hoc rarius contingit: & quandoquidem amor ille à voluntate noſtra proficiſcitur, ideo plærumque haud difficulter flecti poteſt in alia & diverſa ſtudia. In quam

autem

autem partem moveri animus debeat, hoc vero committendum videtur ſolis iis qui valent prudentiâ, neutiquam vero incautæ adoleſcentiæ.

Quomodo coërcendus animus eorũ qui Practicis Studiis ſunt dediti.

Quoniam vero ita eſt comparatũ cum humano ingenio, ut quia Studiorum Theoreticorum & Negotioſorum ingens ſit diverſitas, ac rariſſime unus aliquis utriſq; Studiis rite exercendis ſit idoneus, hinc delectus fuerit inſtituendus, utq; ſaltim illi qui in negotioſæ vitæ uſum ſunt inſtituendi, magno τῶν θεωρητικῶν amore non afficiantur. Pertinet huc ſanè id quod de Julio Agricola ſocero ſuo refert Tacitus. *Memoria teneo,* inquit, *ſolitum ipſum narrare, ſe in prima juventa ſtudium Philoſophiæ ac Juris ultra quam conceſſum Romano & Senatori hauſiſſe: ni prudentia matris incenſum & flagrantem animum coërcuiſſet. Scilicet ſublime & erectum ingenium pulcritudinem ac ſpeciem excelſæ magnæq; gloriæ vehementius quam caute appetebat; mox mitigavit ratio & ætas, retinuitq;, quod eſt difficillimum, ex Sapientia modum.* Hæc ille. Quæ civilis autem negotioſæ vitæ eadem eſt ratio & illius quæ artibus exercendis ſe conſecravit: etiam nimirum & Artes ſectan-

ſectantium coërcendus eſt animus à dulcedine & amœnitate contemplationum.

Philoſophiæ Studioſo multum eſt indulgendum.

Ex adverſo tamen quibus Theoretica præplacent, his nihil obſtat quo minus & artes quasque & Practica quævis addiſcant, ſed ſciendi cauſſâ nõn autem exercendi. Imo vero ſi Ingenii vires ſuppetant, nullum temere Studium, qualecunque etiam ſit, ab iis non eſt amandum, quo veritatis fiant compotes. Quapropter etiam Ariſtoteles in Philoſophiæ auditore haud contentus fuit φιλομάθειαν requirere, ſed exegit ſimpliciter φιλαλήθειαν quod longe plus eſt. Id quod pro dignitate hic perſequi tempore itidem prohibemur.

DE LABORVM AMORE.

Ad Tertium igitur requiſitum jam faciemus acceſſum. Tertio autem loco diximus poſtulari ab omni,

Qui cupit optatam ſtudii contingere metam,

Laborũ tolerantiam ſive potius φιλοπονίαν aliquam. Nec vero hæc ſemper comitatur Studiorum amorem. Multi enim ſatis avidi quidem ſunt doctrinæ: at præ laborum tædio cupitis numquam fruuntur. Nec tamen eſt quod quis ſibi eruditionem polliceatur ſine inſigni labore, quantumvis ingenii valeat celeritate. Ita nimirum ſeſe res habet: cum varia

ſit

ſit doctrinæ atque eruditionis univerſæ ratio, levior aliqua & proletaria comparari poteſt ab eo qui ab ingenio eſt feliciter inſtructus; etſi non adeo multum laboret. Nec illam tamen quamvis ingenioſus aſſequaris in otio aut aliud agens. Doctrina vero magis ardua longe plus laboris poſtulat. Si variam diffuſamq; complecti deſiderium eſt, labor plurimus fuerit ſubeundus. Hinc qui præ aliis laudem eruditionis conſequuti ſunt, non ſola ingenij profecto celeritate floruerunt, ſed iidem fuere φιλοπονόταλοι: quod infinitis exemplis docere in promptu eſt. Sed quid iis opus? quum uſus doceat quotidianus, quemlibet doctiſſimum eundem & laborioſiſſimum eſſe: quantumve à labore alienus quis eſt in tantum etiam ab arce doctrinæ abeſſe remotum. Si duo, fateor, inter ſe contendant ad eandem doctrinam aſſequendam, tardo alter alter expedito ingenio, brevi temporis ſpacio perveniet hic quo alter non niſi ſero enitetur. Attamen perquam turpe eſt, hominem ab ingenio valentem non etiam multum ſuperare eum qui eſt tardior, cum utique id poſſit haud difficulter. Sed & fieri poteſt, ut tardior aliquis improbo labore mul-

tum vincat illum qui ingenii bonitati confiſus aut otio ſeſe dedit, aut eſt pigrior. Et vero cum vetus tum noſtra etiam hæc ætas haud unum præbuit doctrina multa præcellentiſſimum: idque non tam celeris ingenii quam aſſidui laboris beneficio. Quæ omnia qui mecum perpenderit, non poterit profecto non fateri, omni omnino Studioſo doctrinæ, niſi tempus operam & ſumptus velit perdere, ad doctrinæ cultum capeſſendum opus eſſe aſſiduitate & diligentia, nec absque illa poſſe quem ſolidi fructus quidquam ſibi polliceri.

Quod ſi porro reſpiciamus Studiorum variam conditionem, ſaltim illa quæ in actum deduci debent, qualia ſunt Studia artium interq; eas Medicinæ cumprimis, Studia item omnia Practica, ſacra & profana, multum exigunt laborem, ſi operari placeat. Intereſt igitur, ut ſaltim horum ſtudiorum æmulator aſſueſcat laboribus ſuis, & ab otio fiat alienus. Si ſanè vitam Academicam juvenis incerte otio tranſegeris, ad munia reipublicæ & Eccleſiæ, ut & ad artes faciendas, jam adultior vix eris idoneus. Non certe ita aptus eris, atque ſi juventutem quoque ipſam utili labori impenderis. Et

vero

vero eſt quidem & naturæ dos ἡ φιλοπονία: niſi tamen reapſe opereris, in deſidiam facilis prolapſus fuerit: gnavo autem exercitio dotem naturæ plurimum auxeris.

Quin igitur Academicum Studioſum eſſe oporteat laborioſum, non profecto eſt dubitandum.

Proximum eſt uti agamus de Quarto requiſito: quod nos haud dubitavimus collocare in notitia ſive τῆς προπαιδείας, ſive *Elementaris cujusdam doctrinæ.* Non diſputabimus hoc loco, quid Ariſtoteli iſthac προπαιδείας appellatione venerit: præſertim quia hoc præclare exſequuti ſunt, Nunneſius, Scherbius, Piccartus atq; alij. Et verò cum Ariſtoteles egerit tantum de ijs quæ Philoſophiæ quam accuratiſſime diſcendæ requiruntur, haud dubie ad ſola Philoſophiæ iſti parandæ neceſſaria adminicula reſpexit. Præter autem Philoſophiam omnis omnino doctrina ſuam communem aliquam προπαιδείαν habet, & ſingulis ſcientijs atque artibus quædam eſt propria. Cum nos igitur hic inſtruamus quemlibet Academicum Studioſum; reſpiciendum nobis fuerit, non ad ſolius accuratioris Philo- *DE ELEMENTARI DOCTRINA.*

ſophiæ uſum exemplo Ariſtotelis, ſed ad id quod & univerſim omnia & ſpeciatim cuivis ſtudiorum generi eſt neceſſarium. Id quod tamen nunc quidem, prout exigit argumenti dignitas, plene expediri à nobis non poteſt; tantum igitur quaſi digito fontes monſtraſſe, & ſummatim propoſuiſſe nonnulla quæ iſthuc faciunt, hac vice ſatis fuerit.

Peritia linguæ Latinæ inter elementares doctrinas maxime eſt omnibus communis.

Igitur elementarium, ut ita loquar, omnium maxime communis haud dubie eſt peritia ejus linguæ qua doceri ſolent potiora quæq; μαθήματα. Omnis nimirum doctrina ſermonis uſu inſtituitur, ſive viva id fiat voce ſive ſcripto. Jam autem, prout noſtri quidem ſunt mores, Latina lingua docentibus eſt longe familiariſſima. Saltim itaq; hujus peritia adferenda eſt, quo poſſis doctrinæ melioris Academicæ fieri particeps. Quando & alius linguæ, qualis utique eſt Græca, imo & Ebræa, magiſterio licet præclara addiſcere, etiam illius notitia inter elementa eruditionis adſciſcenda fuerit. Harum tamen linguarum cognitionem æque ac Latinæ neceſſariam non eſſe diſcentibus quibuſvis, palam eſt, idque quoniam hac quidem tempeſtate & in hoc orbe Europæo, præ omnibus linguis ſola Latina ad

quam-

quamlibet omnino doctrinam accipiendam ſolet adhiberi, Græca & Ebræa ad pauca. Quandoquidem verò Academiæ ſtudiis ſunt dicatæ neutiquam trivialibus, ſaltim illa neceſſaria Latinæ linguæ peritia iſthuc adferenda eſt, non autem in Academiis demum addiſcenda.

Logicæ rudior peritia itidem eſt elementaris.

Propemodum quæ linguæ Latinæ eadem eſt ratio Logicæ: non quidem omnibus numeris perfectæ (hæc enim raro cadit in juvenilem ætatem) rudimentorum tamen ejus. Prudenter ſanè Ariſtoteles: ἄτοπον, ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης: non debere ſimul diſcere artem aut modum ſciendi & ipſam ſcientiam. Cum in Academiis igitur Scientias addiſcere oporteat, ars ſciendi (hæc verò eſt quã nunc Logicam appellamus, conſuetudinem ſecuti) ſaltim quantum rudimenta attinet, præmittenda fuerit. Hactenus ſcilicet inſervit Logica omnibus omnino Academicis Studijs. Quod ſi tamen quis Studijs quibusdam accuratioribus velit animum appellere, erit conſultiſſimum, quoad fieri poteſt adferre accuratiſſimam Logicæ, cumprimis verò Analyticæ partis, cognitionem. Impoſſibile ſane, meo quidem judicio, eſt, majoris momenti ſcientias, & inprimis ſubtiliorem quamque Philo-

ſophiam, velle aſſectari niſi Analyticæ fueris probe peritus. * Quantum ſanè defecerit hæc peritia tanto infelicior & incertior erit Scientiæ cujuſvis tractatio. Haud equidem negaverim, magnam in nonnullis vim eſſe nativam Judicij, quæque adeo defectum illum artis queat ſupplere: attamen rarum eſt illud naturæ beneficium, & ſic quoque ſæpenumero fallit, nec ſolet temere ad ea quæ difficillima ſunt pertingere. Argumento ſunt quæ interdū à magnis quoq; viris ſed minus probe hac in parte πεπαιδευμένοις ſcripta eduntur: in quibus ἀποδεικτικὸν τι raro, aut vero ita permiſtum Dialecticis probationibus invenias, ut liquido appareat auctores Demonſtrativam & Probabilem collectionem diſcernere haud ſciviſſe. Uno verbo; rudior Logicæ peritia debet merito numerari in ordine Elementaris doctrinæ illius, quæ omnibus Academicis Studijs inſervit, accuratiſſimâ opus eſt Scientijs exquiſitioribus addiſcendis.

Rudior quoque Metaphyſices peritia eſt elementaris.

Proxima Logicæ, ſi uſum communem ſpectes, rudior quædam eſt peritia Metaphyſicæ: quandoquidem in illa diſciplina traduntur ea quæ omni enti conveniunt, adque adeo nulla eſt doctrina quæ

non

non hujus egeat ſubſidio. Occupaverant Platonis ævo Dialectici nonnulla hujus nobiliſſimæ doctrinæ, quia argumenta Dialectica ex Metaphyſicis potiſſimum accipiuntur. Perinde atque idem patrum memoria fuit factum à Petro Ramo ejusque aſſeclis. Hinc vero à Platone plurimum laudata ſunt ad Studia omnis generis Dialectica, cum debuiſſent Metaphyſica commendari: quam ſcientiam primus conſtituit Ariſtoteles. Attamen neque Metaphyſicæ accuratam notitiam inter *elementa eruditionis* exigo, ſed duntaxat rudiorem. Haud neſcius quanta ſit doctrinæ illius in quam multis ſubtilitas, quamque ejus notitia ſuperet captum juventutis, & non omnibus ſcientijs inſerviat.

Non ita quidem, ut priora illa, omnibus promiſcue ſcientijs ſunt communia; ſunt tamen duo adhuc, quæ univerſim conſiderata communia omnibus, ſpeciatim verò propria ſunt ſingulis. Utraque, me quidem judice, apprime ſunt utilia: imo ſi non utraque, ſaltim primum, eſt ipſiſſima Ariſtoteli *κατ' ἐξοχὴν* laudata *παιδεία* ſive *προπαιδεία*.

Propædia cuiuslibet doctrinæ eſt illi elementaris.

Dum illam vero *προπαιδείαν* commendamus, hoc volumus. Anteaquam ad doctrinam aliquam faci-

faciat quis acceſſum, debere prius doctrinæ ejus, ſive ars fuerit ſive ſcientia, naturam habere cognitam: quodnam ſcilicet ejus ſit ſubjectum, ſive circa quod occupetur, quibus principijs tota nitatur, atque adeo quales admittat probationes, quamque habeat certitudinem. Hiſce ſane probe cognitis, incredibile dictu eſt, quantos progreſſus poſſit diſcipulus aliquis brevi temporis intervallo in omni ſcientia atque arte facere. Ex adverſo ſi illa προπαιδεία defecerit, diſcipulus cavere nequit, ne interdum in alienis occupetur, & præter propter doctrinam illam, quam diſcere ſibi habet propoſitum, divagetur: neve ſæpenumero ineptis & falſis ratiunculis ſeſe patiatur decipi: atque adeo ne ſeducatur in errorem ut exiſtimet ſcientiam ſeſe jam conſequutum cum vix ſumma ejus veſtigia attigerit. Huc vero etiam hoc facit, quod Studioſus nullam ſcientiam nullam artem debeat aggredi, niſi fuerit ante probe inſtitutus, quænam ad plenam ſcientiæ hujus aut illius acquiſitionem ſingulatim ſint quaſi præambula, & proinde in anteceſſum addiſcenda. Sæpenumero de προπαιδείας hujuſmodi ſumma non dicam utilitate ſed plane neceſſitate verba ad vos

feci

feci, O juvenes, ſcripto etiam non uno illud tetigi. itaque non eſt quare nunc quidem operosè iterum doceamus.

Ad προπαιδείαν vero quadamtenus pertinet Alterum illud: nempe notitia eorum, quorum magiſterio propoſita doctrina accipienda eſt. Nec enim niſi paucis conceſſum, ſine magiſtro præclaram aliquam ſcientiam ſibi ſuopte, quod ajunt, Marte comparare. Quantumvis etiam id nonnulli poſſint, haud dubie tamen illi & facilius & tutius & plus profecerint ab alijs adjuti. Quoniam autem reapſe rari ſint

Magiſtrorum qui voce aut ſcripto docent neceſſaria notitia.

nantes in gurgite vaſto,

plæriq; autem indigeant alienis præceptionibus, facile apparet, tantum non omnibus id operam eſſe dandam, ut ante omnia cognoſcant per quos in ea eruditionis parte, quam ſibi habent propoſitam, queant maxime proficere. Perinde vero atq; in aliis, ita & in hiſce ſpectanda fuerit magiſtrorũ ejuſmodi primum facultas, deinde & voluntas. Utrum ſcilicet ſint idonei docere, deinde utrum iidem ingenue & ſine invidia, quæ recta norunt, docere velint. Utrumque ſane requiritur in magiſtro Studijs commodo. Al-

terutrum ſi deſit, neutiquam ab illo juſtum ſtudiorum fructum quis ſibi comparaverit.

Scriptores optimi cũ primis ſũt præcognoſcendi.

Quum magiſtrorum autem alii viva doceant voce, alii libris conſcriptis: dubio procul illorum in animis movendis vis eſt potiſſima: eoq; & hactenus hi quàm maxime ſectandi, ſi probe ſeſe habeant. Cæterum ab illis quaſi mortuis multo plura & minore ſumptu diſcere eſt. Ac proinde non vivorum duntaxat, ſed etiam illorum, quorum ſcriptis poſſumus inſtrui, & quidem horum quam maxime, notitia erit comparanda, quaſi in προπαιδείαν cujuslibet diſciplinæ. Quo conſilio ductus ego, nullum temere fui in docendo argumentum aggreſſus, niſi præmiſſa ingenua & candida diſſertatione de iis auctoribus, per quos, meo quidem judicio, quam promptiſſime liceat illam doctrinæ partem capeſſere. Multo uſu expertus, ita quemvis juvenem quam optime ad ſingulas doctrinæ partes quaſi manu poſſe duci.

Quomodo fieri id poſſit.

Cæterum optimos quosque ſcriptores dignoſcere atque dijudicare, non eſt fateor levis operæ: neque præſtari poteſt niſi ab eo qui jam ſub-

acto in ipſo illo doctrinæ genere eſt judicio: quale non ſolet eſſe tenerioris ætatis, vel certe non niſi rariſſime. Non tamen eſt quare hanc notitiæ comparandæ ſpem quamvis juvenis abjiciat. Varii ſcilicet ſunt notitiæ gradus. Vt ἐπιστημονικὴ (liceat ita nunc loqui) ſuperet juventutis captum, par tamen etiam illa ætas eſt comparandæ notitiæ δοξαστικῆ: quæ ſcilicet innititur auctoritati talia vere ſapientum. Commodum itaque fuerit præclariſſimorum quamvis doctorum, cum vivorum tum mortuorum (ut ita loquar) judicia & cenſuras de cujuſvis generis ſcriptoribus, magna cura & inquirere, & annotare: donec maturior ætas ſuapte trutina uti conceſſerit. Quæ opera & levis eſt & jucunda: quod meo exemplo poſſum bona teſtari fide. Sed in hac παιδείας parte, ut & in aliis quæ tacta à nobis ſunt, fortaſſis juſto diutius hæreo.

Prelimi-narium doctrinarum ſingularium neceſſitas.

Non equidem exiſtimo *Elementis eruditionis* illis, quæ requiſivit ad Acroamaticas diſciplinas Ariſtoteles, accenſita eſſe ea, quorum notitiam nonnullæ Scientiæ atque Artes privatim quaſi ſibi poſtulant, ceu præliminaria. Certum tamen

eſt, quod ſine iis haud liceat juſta felicitate in quammultis diſciplinis progredi: ac proinde omnino, ut plenus Studiorum fructus accipiatur, ordinem iſtum eſſe obſervandum: ut nempe, non niſi probe jacto in præliminaribus iſtis fundamento, ad quodvis doctrinæ genus procedatur. Sed quænam talia ſint, vel, ut clarius loquar, quænam præmitti debeant diverſi generis diſciplinis, id docere nimis fuerit operoſum: certe hæc panegyris neutiquam permittit. Et vero nunc quidem ſatis eſt ſaltim hoc ſignificaſſe.

DE MORIBVS CUIVIS STVDIO APTIS. Supereſt ut & Quintum requiſitum expendamus. Quibus ſcilicet *moribus conveniat* eſſe eos qui Studiorum Academicorum fructum deſiderant. Et vero queat videri hoc poſtulatum valde intempeſtivum: mox tamen, niſi fallor, liquido patebit, non prudenter duntaxat, ſed etiam in tempore, quando nimirum integrum adhuc eſt quodnam velis Studiorum genus amplecti, id ipſum attendendum. Ut de moribus autem rectè judicetur, neceſſum eſt, comparationem eorum cum virtutibus & verè moralibus & quas homileticas appellamus inſtituere. Non enim & virtutes ſequioris ordinis non ſunt attendendæ: præſertim quum ingens

ingens earum ad vitam civilem ſit momentum, imo ſi videas eos quibus cum eſt vulgo converſandum, quum homileticæ virtutes præ ipſis veris virtutibus moralibus ſoleant quam maximè æſtimari. Nos initio ſpectabimus virtutes veras, deinde & homileticas.

Igitur in univerſum omnem omnino Studijs Academicis conſecratum, neutiquam voluptatibus & intemperantiæ, aut etiam ſegni otio deditum eſſe oportere, jam tum demonſtravimus. Si ſane omnis ille debet eſſe φιλομαθὴς, ſi φιλόπονος (debere autem eſſe, jam tum docuimus) ſaltim otio aut intemperantiæ conſequens eſt neminem illorum debere eſſe immerſum. Non par eſt ratio Ambitionis & φιλαργυρείας. Nec enim hæc vitia prohibent, quo minus aliquam Studijs operam impendas in vita Academica. Quin imò nonnullis hæc ipſa vitia pro calcare eſſe ſolent, ad diligentiam, ſaltim iſtis Studijs, impendendam, quæ aliquando ad honores & divitias poſſint aditum præparare. Et quidem ſi absq; eo ſit, quidam nec ullam velint ſtudijs operam collocare.

Mores qui ab omni Studioſo requiruntur.

Quamvis autem ita ſeſe res habeat de ſtudijs nonnullis, neutiquam tamen illud ad omnia trahendum

Ambitio & φιλαρ-γυρεία quid permittat in Studiis.

hendum, imo nec ad ipſorum ſtudiorum lucroſorum exquiſitã undiq; cognitionem. Quoniam videlicet Studia mere ſterilia ne quidem excoli vel tenuiter ſoleant ab iis, quorum animos honorum & pecuniæ cupido obſidet: illa intelligo quæ, ut vulgus loquitur, non faciunt ad farinam. Etſi enim jure dixeris, qui iſthoc ſunt animo dignos eſſe, ut farinam bajulent; κατ' ὑπόθεσιν tamen vitæ, imprudenter illi ſtudiis dent operam quæ aliquando nec ad opes poſſint juvare nec ad honores. In univerſum porro non patiuntur hæc morum vitia, ut ſolidam ullam eruditionem, cujuſcunque etiam fuerit generis, tibi compares. Et verò ſolent opes & honores à ſolis vel mediocriter eruditis, vel tandem dimittentibus ſeſe ad ſola quæſtuoſa, parari: ſolide doctis raro ad iſthæc quidem conceditur aditus. Vnde conſequens eſt, ſaltim illos, quibus propoſitum eſt per Studia non niſi diteſcere vel emergere ad honores, atque adeo qui ſunt moribus ambitione & φιλαργυρίᾳ infectis, illos inquam neutiquam Studia quælibet aut eruditionis excellentiam poſſe æmulari.

Etiam

Etiam atque etiam porro obſervandum eſt; poſt Academica Studia ſubſequi ſolere duo diverſa admodum vitæ genera: Contemplativum alterum, alterum Practicum. Cumque ad alterutrum faciat quaſi aditum Academia, jam tum ſtatim in Academiis attendi debere id quod jam non ſemel indicavimus, cui vitæ generi poſt relictam Academiam dedere ſeſe Studioſus Academicus velit. Etiam ſane hac quoque de cauſſa ſpectandi fuerint mores Studioſi juvenis. Utrum ſcilicet illi vitæ aliquando agendæ conveniant. Nec vero admittit vita utraque eoſdem mores: ne quidem ſi illos exigas ad normam verarum virtutum moralium, multo minus ſi cum homileticis contendas. Ineptum autem fuerit Studia Academica illi vitæ addicere, quam mores non facile ferunt, multo minus ii qui ab iſthac vita plane ſunt alieni. Hoc enim fuerit in Academiis tempus & operam perdere, atq; adeo diſcere mox dediſcenda.

In Academiis ſpectandum qui mores Contemplativa qui Practicæ vitæ conveniant.

Contemplativa porro eruditi hominis (nam de uno illo nunc loquor) vita non conſiſtit duntaxat in ſolis ſtudiis Theoreticis, ſed etiam in quibus-

Vita contemplativæ mores.

quibuſvis Practicis & Operativis, modo tamen tu nolis illa reapſe exercere, merâ eorum notitia contentus, ceu veri ſolent Philoſophi. Hæc vita admittit ſanctiſſimos mores. Nec enim veritatis contemplatio vel occaſionem præbet ulli morali vitio: tantum abeſt, ut cultorum quenquam ad vitium aliquod ejus generis incitet. Veritatis inquam contemplatio id non facit. Attamen etiam hoc in hominum genere, nonnulli non veritatem ſed gloriam affectant; ideoq; ſeſe ſolos ſupra quam decet efferunt, alieno autem nomini invident & per calumnias detrahunt. Ut proinde Theoreticæ vitæ alicujus etiam ſumme ſtudioſis haud liceat undequaque omnia felicia promittere, niſi demum ijs qui moribus ſunt ab ambitione & faſtu alienis.

Mores vitæ Practicæ. Magis adhuc morum ratio habenda eſt circa eos, qui vitam affectant Pragmaticam. Hac parte nempe ita eſt comparatum, ut quædam negotia ne admittant quidem mores undequaque honeſtos: plæraque admittant quidem ſed tamen facile deflectant animos in vitia, niſi ſtudioſe ea caveas. In quibus tamen itidem eſt haud levis diverſitas.

Prioris

Prioris generis ſunt nonnulla quæ gerenda veniunt in rebuſpublicis illis quæ per bonas artes adminiſtrari nequeunt, cujuſmodi ſunt exempli gratia tyrannides. Qui ad illa igitur negotia appulſuri ſunt animum, moribus bonis præditi eſſe nequeunt, ſed ſaltim ἡμιπόνηροὶ ſint oportet etiam ex ipſiusmet Ariſtotelis ſententia. Quam rem latius perſecuti ſumus libro de Civili Prudentia. Ne in alijs animus patiatur ſeſe in devia abripi, opus eſt adſint mores virtute ſubacti, vel ſaltem tales ut in virtutem ſint proniores, utque adeo poſſint illi juſta adhibita diligentia in tramite honeſtatis retineri. Quod ſi ſane animus fuerit levis, aut cupidus per fas & nefas in altum ſe levandi, non eſt dubium, præbita occaſione hominem illum officio ſalva honeſtate haud functurum. Adeoque cum Hippocrates ſtudioſe cautum voluerit, ne quis ad Artem Medicam diſcendam temere admittatur niſi perſpectæ probitatis, multo maxime in aliis Practicis hoc obſervandum fuerit: quia nempe præ aliis Ars illa raro dat aliquod ad vitia incitamentum. In univerſis ſane Practicis plærisque ut & Artibus habet locum Hippocratis illud: τὰ ἱερὰ ἔοντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι

θρώποισι δείκνυται, βεβήλοισι δ' οὐ θέμις πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης. *Quæ ſacra ſunt negotia ſacris hominibus oſtendantur, profanis autem fas non eſt, priusquam ſint initiati orgiis ſcientiæ.* Hæc cautio ſane tanto majore cura haud dubie erit obſervanda, quo praxis aliqua ſanctior eſt & proinde ſanctiores mores exigit. Et verò ea eſt practicorum munerum diverſitas, ut alijs plús alijs minus virtutis debeatur, imo aliæ atque aliæ virtutes ſint maxime convenientes.

Qui mores homiletici conv[illegible]it Studiis & Theoreticis & Practicis.

Non patitur hic locus etiam hoc argumentum pro dignitate exſequi: itaque nunc tantum addemus aliquid de moribus homileticis. Hi mores quemadmodum ſeſe habeant in ijs qui mere Contemplativam & Philoſophicam vitam amplexuri ſunt, non adeo multum intereſt: quoniam converſationi parum ſtudebunt, quæ quam maxime homileticas virtutes exigit. Quin tamen etiam hos ornare poſſit modeſtia & humanitas, moroſitas vero & faſtus ijs quoque ſit indecens, vacat omni dubitatione. Longe ália autem & accuratior morum ratio obſervanda eſt in futuris Pragmaticis. Ad illam nempe vitam plurimum refert quâ ſis in ſocie-

ſocietate morum indole. In univerſum enim, & nimis elato pariter & nimis abjecto eſſe animo ineptum eſt. Nec enim ferimus facile ſuperbos: abjectos autem contemnimus: itaque neutri ad res practicas expediendas ſunt idonei. Enimvero ad agenda civilia negotia, imo etiam ad artem medicam faciendam, quam maxime apti ſunt, homines alacres, gnavi, erecti, humani, ſuaves, elegantes, & fere quales dici ſolent omnium horarum: ex adverſo, moroſi, difficiles, tardi, rixoſi, meticuloſi, queruli, ſuperciliofi, humiles, inurbani, agreſtes, haud temere negotia ejuſmodi, aut artem quoque medicam, feliciter exercebunt. Ac proinde prioris generis juvenes bona cum ſpe queunt ad Studia iſthæc animum appellere: poſterioris autem qui ſunt ordinis ab illis quidem ſtudijs ſunt arcendi, nec enim unquam facturi ſunt pretium operæ. Tanti ſane fecit hoc etiam ipſemet Hippocrates, ut cum cura id docuerit tum in libello quem περὶ εὐσχημοσύνης inſcripſit, tum in altero opuſculo τῶν παραγγελιῶν. Imo ipſemet Sanctiſſimus Apoſtolus Paulus haud leviter reſpexit ad has quoque virtutes, quando dixit: *Servum Domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga*

omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario ſunt animo affecti, ſi quando det eis Deus forte reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis. Utinam ſane qui adverſis ſunt moribus ad Eccleſiaſtica ſacra ſtudia haud admittantur! Benè profecto cum humano genere ageretur, & Eccleſiæ tranquillitati conſuleretur non minus quam populi ſanctimoniæ. Verum neque hoc pluribus agere nunc licet: nec etiam neceſſarium fuerit, cum res ſit omnibus notiſſima.

DE REQVISITORVM INDAGATIONE. Quantum quidem igitur hic locus & hoc tempus permittit, de ipſis quinque requiſitis Academici Studioſi jam dictum eſt. Licet igitur fortaſſis jam in his acquieſcere. Ut tamen in rem eò facilius omnia queant referri, addemus nonnihil etiam de omnium illorum requiſitorum in Studioſis juvenibus inſtituenda indagatione. Quemadmodum nempe illa queant intelligi, ut & per quos quam tutiſſimè fieri poſſit examen.

Modus indagandi. Quid Pythagoras ſua in ſchola egerit, haud fuerit abs re heic recitare ex Calviſii Tauri, magni ſuæ ætatis Platonici, A. Gellio auſcultante habitâ diſſertatione, quæ inſerta eſt Noctium Atticarum l.1. c.9.

Jam

Jam à principio adoleſcentes, qui ſeſe addiſcendum obtulerant, ἐφυσιογνωμόνει. Id verbum ſignificat, mores naturasq; hominum, conjectatione quadam de oris atq; vultus ingenio, deq; totius corporis filo atq; habitu, ſciſcitari, Eum qui exploratus ab eo idoneusq; fuerat, recipi in diſciplinam ſtatim jubebat. Non equidem ignoro, quantum poſſit ea in re ars Phyſiognomonica: ideoque nolim & ipſe hanc explorandi rationem improbari. Quin imo poſſe in hunc uſum adhiberi etiam illa, quæ à Scipione Claramontio ſunt ſubtiliſſimè pariter & prolixe ſatis ſingulari libro de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus diſputata, haud equidem dubito. Videntur autem longe promptius & plenius accipi omnia poſſe, facto examine eorum quæ à juvene aguntur, ſi quando placet eorum inſtituere rigidam inquiſitionem. Fructus nimirum arborem indicat. Igitur ea in re ſatius eſt ſequi ſapientiſſimum Salvatoris præceptum, de Prophetis veris & falſis etiam à vulgo dignoſcendis, maximi utique momenti negotio, idque ex ſolis fructibus.

Jam porro poteſt illud examen interdum etiam

Quinam examen debeant institueri. ab ipſis juvenibus inſtitui: ſi quidem illi compoſito fuerint animo. Id tamen rariſſimum eſt. Solent ſcilicet illa ætate plærumque affectus dominari: & fere in univerſum in proprijs cæci ſumus quantumvis aliàs lyncei. Itaque hæc quidem cenſura committi alijs tutius poteſt. Vereor autem ut ſoli ipſi parentes hoc queant agere. Enimvero nec omnes ſatis ſunt talium periti: nec illos non ſæpenumero in minus apta abripiunt cupiditates, dum liberos nempe volunt eſſe eos quales per ingenium cæteraque requiſita eſſe nequeunt. Utinam ſemper ſecure liceat fidere futuris magiſtris! Sed tutiſſimum forte fuerit, judicium hoc omne deferre uni aut pluribus, qui & talia intelligunt, & nihil inde vel commodi exſpectant vel adverſi metuunt. Quod ſi ſane plures ejuſmodi fuerint ad manum, ſatius eſt multos audire quam unum. Notum eſt, ipſummet Pythagoram Hippocratem Ariſtotelem alioſq; veterum, non refugiſſe hunc laborem: etſi nulla docerent mercede, atque adeo hactenus incorrupto valerent judicio. Quantum præterea noceat hodie Academicæ juventuti illius examinis neglectus, loquuntur imô clamant jacturæ operum & ſumptuum in

quam

quam multis, ne alia hinc enata graviora ncommoda nunc attingam. Faxit Deus, ut ſaltim impoſterum omnia Academica Studia in divini nominis gloriam, Eccleſiæ & reipublicæ ſalutem, & deniq; propriam Studioſi cujuslibet, vergant felicitatem.

Atque ita hactenus ſententiam noſtram de recta Studiorum ratione attulimus in medium: quantum quidem permiſit hæc eximia Panegyris. De formandis moribus jam diximus aliàs nos acturos, ideoque etiam nunc illud omne in tempus commodius differimus. Verbo tamen hoc unum duntaxat nunc monemus: quam optime poſſe moribus juvenum conſuli, ſi cum pœnis tum præmijs ad obſervantiam legum quaſi conſtringantur. Liberior ſcilicet illa vivendi in Academijs ratio adoleſcentes in vitium flecti cereos, multo magis illos qui domi apud ſuos indulgenter habiti jam tum vitijs aſſuevere, facillime trahit in devia, niſi per legum repagula in officio detineantur. Igitur bonum gnavumq; ſtudioſum in id unice decet, omni ſtudio eniti, ut leges vivendi optimas & diſcat & laboret

DIGRESSIO ad magis Panegyri huic propria.

laboret obſervare. Hoc ſane ſi fecerit jam adoleſcens, pene omnem reliquam ætatem jam in portu quaſi collocavit: quippe quum adoleſcentiæ ratio omne quod eſt vitæ reliquum in partes trahat. Et vos quidem, O optimi juvenes, haud ignoratis jam tum, noſtræ quidem leges quidnam exigant: ſunt enim illæ quotidie in omnium conſpectu & manibus: quoniam tamen, quemadmodum audiviſtis, Sereniſſ. atq; Illuſtriſſ. Princeps ac Dominus D. CHRISTIANVS LVDOVICVS Dux Brunſvicenſium & Lyneburgenſium Academiæ Juliæ hodie Director Magnificentiſſimus Dominus meus Clementiſſ. me juſſerit hoc proximo ſemeſtri vices ſuas obire in Academiæ hujus gubernatione, atque ideo mos expoſtulet, ut Leges, ſecundum quas vivendum vobis hîc eſt, publice hodie recitentur, nihil præter ſolitum facturus easdem nunc repeti curabo. Age ergo Præſtantiſſ. N N. aſcende hanc cathedram, & Leges primum illas quas Latina lingua conſcriptas dudum Academia noſtra promulgavit, deinde & iſtas quas nuper adeo Sereniſſimi Principes noſtri lingua materna edixerunt, clara & diſtincta voce commilitonibus tuis prælege.

Audiviſtis

Audiviſtis hactenus, O juvenes, primò me diſſerentem de ratione Studiorum veſtrorum quam optime inſtituendorum, paucis etiam de componendis ſecundum leges moribus; Audiviſtis deinde & commilitonem veſtrum recitantem leges noſtras Academicas & Sereniſſimorum Principum edicta. Nihil nunc reſtat, niſi uti vos monitis & legibus, veſtrum in uſum allatis in medium, ſtrenue pareatis. Ego ſane de vobis omnibus optima quæque mihi polliceor. Ingenuo enim omnes locó, quidam & clara majorum progenie,nati eſtis,ut ipſi natales vobis ſint pro calcare vritutis. Non alium in finem, quam morum ſtudiorumque componendorum cauſſa huc adveniſtis. In id & parentes, in id amici veſtri faciunt ſumptus. Turpe vero fuerit infra majorum aut cognationis dignitatem per improbitatem ſe proſternere. Turpe fallere exſpectationem & parentum & amicorum, addo & noſtram. Turpe indignum ſe præbere illo Studioſorum titulo, quem nemo niſi ſtudiis & bonis moribus rite deditus poterit promereri. Vos ſcilicet eſtis ſeminarium Eccleſiæ & univerſæ reipublicæ. Vos eſtis ſpes boni melioris,ſi quod eſt futurum. Vos eſtis & ſolatium

earum quæ nos premunt ærumnarum. Ecquis veſtrûm igitur non velit id agere quod ſui eſt officii, præſertim cum ex hujus ætatis actu pendeat reliquæ vitæ omnis fortuna? Erecti vultus veſtrûm omnium nihil non mihi ſpondent benigni: omnia illi felicia mihi jam tum pollicentur. Quapropter etiam arbitror ulteriore quadam nunc cohortatione non eſſe opus. Quod ſi tamen quisquam fortaſſis exſpectationem fefellerit, (abſit vero) ſciat ille, non permiſſuros nos ut unius alicujus improbitate aliorum integritas contaminetur. Non ſane ad cujusquam ignaviam, non ad luxuriam, non ad helluationes, quamvis opulentioris aut magno loco geniti, nos connivebimus. Non patiemur, cujusquam ferocia aut petulantia alterius modeſtiæ & tranquillitati inſultari. Multo minus feremus, cuiquam ad duella provocationibus creari moleſtiam. Omnes boni, omnes rei literariæ ſatagentes ſibi firmum præſidium in nobis collocatum eſſe, certò ſibi perſuadeant. Improbus aliquis, aliquis deſes, aliquis luxuriæ deditus, petulans omnis, omnis ferocia tumidus, ſentiet nos ſeveros vindices. Quantum amamus bonos tantum odio proſequimur malos,

los. Neque vero deerit mihi Senatus Academici univerſi conſilium & auctoritas. Unanimi conſenſu exſtirpabimus ſi quod creverit infelix lolium. Omnes nos arcebimus à Studiorum præſepibus fucos & ignava pecora. Cavebimus certè, ne quid detrimenti capiat hæc reſpublica literaria. *Maledictus ſit, qui opus hoc Domini Dei noſtri fecerit negligenter.* Finiemus precibus omnem hanc Panegyrin.

Deus bonorum omnium factor & dator, qui cum unigenito Filio & Sp. S. trinus, ſapientia vero bonitate atq; omnipotentia unum quid es & indiviſum: qui omnem doctrinam omnemq; ſcientiam, abs qua ſi eſſet nec homines eſſemus, humanis mentibus inſeviſti: qui docentium diſcentiumq; ordines, quibus vita ipſa nititur, & inſtituiſti, & Spiritu tuo ſemper gubernas. Te ego, Deus, publica voce oro hodie & obteſtor, ut quamdiu homines vis hoc in mundo vivere, tamdiu inter eoſdem ſapientiæ & doctrinæ ſtudia tuearis ac conſerves. Effice Pater, ut ſopitis religionum diſsidiis, abolitis civilibus odiis, remoto tyrannidis metu, & frenata improborum licentia, non ab improbis in odium confictus ſyncretiſmus, ſed ſancta concordia, & vera pax in domo tua, in animis

quies & fuco carens, fide ſecuritas in republica, in omnibus mutuus amor reparetur. Serva Sereniſſimam familiam Brunſvicenſium & Lyneburgenſium Ducum, eamq; ab hoſtibus & inſidiis malisq; omnibus ita defende, ut ſub eorum tutela priſca fides, antiqui mores, jus ac fas, & literarum ſtudia vigeant floreantq;. Noſtram quoq;, O Deus, hanc Juliam reſpice clementiore oculo. Liceat nobis qui in hoc Academico ordine excubamus pro ſalute publica, aut qui tam ſancto muneri ſe ſuaq; inpoſterum dedicabunt, ſub alis tuis tranquille degere, præclaras pacis artes excolere, juventutem ad rempublicam atque Eccleſiam educare, literasq;, omnis ſapientiæ principium, rite docere. Imple etiam Spiritu tuo diſcentium animos, ut relictis mundi hujus vanitatibus, damnata juventutis petulantia, tibi ſoli vivant, & ad tui nominis gloriam reipublicæq; emolumentum, omne ſtudium ſuum, omnem ſumptum, omnes denique conatus ſuos, unice impendant: quo viri facti & Eccleſiæ & Reipublicæ cum aliorum commodo inſerviant. Hoc te quæſo, Pater, obſecroque.

D I. X I.

EXCERPTA EX

JOACHIMI HOPPERI

DE VERA IVRISPRVDENTIA

LIBRO QVARTO.

Quæ agunt de Legum Romanárum Interpretatione Scholaſtica Forenſi & Politica.

DE DICASTICE ET EJUS DIVISIONE.

Titulus VI.

S. Abſoluta igitur Nomothetice, quid? anne ſequiturde *Dicaſtice* mihi ut reſpondeas? nam hic ordo nobis eſt propoſitus. I. Verum. S. Hanc ergo quomodo deſcribis? G. Ajo *artem* eſſe, *quæ ex Nomothetice deſumpta, viam ac rationem tradit, qua jure legibusque exequendis & ad effectum deducendis, juſtitia in rempublicam inducitur*: quod quia per judicia potiſſimum efficitur, nomen inde accepit. S. Rectè. G. Ac eſt quidem ideo neceſſaria, quoniam non poteſt Nomotheticus ſolus omnia obire, ut ſupra probavimus; ſed opus habet magiſtratibus ſub ſe; quibus tanquam oculis auribusque & pedibus utitur, ipſe in ſumma reipublicæ arce reſidens, cunctaque contemplans. S. Probè. G. Nec verò conveniret majorem illam curam ipſum relinquere, & inferioribus rebus operam dare: quoniam Apoſtoli negabant ſe prædicationem verbi Dei deſerturos, & miniſtraturos menſis, ſed mandabant eam rem Diaconis. S. Pulchre G. Et eſt res perinde, atque ſi in mediâ urbe fontem fingas, unde ad omnes urbis regiones aqua ducatur: cui rei cum unus ſit præpoſitus curator aquarum, qui veram fontis gubernandi & aquæ ducendæ rationem ſolus teneat,

neat, alios ſub ſe habeat qui ſinguli ſingulis regionibus urbis præſint; & licet ipſam artem non habeant, rationem tamen tenent qua mandata ejus exequantur. Quorum curam ipſe gerat: utrum rectè faciant nec ne. Vti de Minoë legislatore fiebat: qui Dicaſtas ſub ſe habebat duos, Rhadamantum in urbe, & Talum in agro. S. Quid? hanc Dicaſticam quomodo dividis? G. In *Intelligentiam juris ac legum per Nomotheticen conſtitutorum*, (nam absque illa nulla poteſt fieri executio) & *ipſam Executionem*. De qubus ſingulis exponemus.

DE INTELLIGENTIA JURIS ET LEGUM, EJUSQUE DIVISIONE.

Titulus VII.

S. *Intelligentia Iuris ac Legum* quonam modo paratur? G. Recta docendi diſcendique Juris ratione, quæ tribus interpretandi generibus continetur. S. Quibus verò illis? G. *Scholaſtica*, quæ in ſcholis ferè locum habet; *Forenſi*, quæ in judicio; & *Politica*, quæ in republica. Quamquam omnes ſunt omnium; quoniam quæ in ſcholis traduntur, animos ad ea præparant quæ in foro & republica geruntur.

DE SCHOLASTICA JURIS ET LEGUM INTERPRETATIONE. I.

Titulus IIX.

S. Quid? de *Scholaſtica Iuris interpretandi ratione*

quid

quid ais? G. Hanc duplicem ſtatuo. S. Quî ſic autem? G. Nam *partim* ſimplex eſt & inchoata; *partim* plena & perfecta, ut in omnibus rebus bene tradendis fieri aſſolet. Vnde Juſtinianus jura populi Romani ita tradi poſſe ait commodiſſimè, ſi primum leni ac ſimplici via, poſt deinde diligentisſima atque exactiſſima interpretatione ſingula tradantur. Sed dicendum eſt de ſingulis.

DE VIA SIMPLICI ET INCHOATA.
Titulus IX.

S. Ergo de *Via ſimplici & inchoata* quid ais? G. Hanc in tres gradus divido. S. Cedo quos? G. *Vniverſalem, Generalem, & Specialem*, S. Recte. G. Quæ quidem res perinde ſe habet atque ſi procul quid conſpicias, quod primum animal eſſe appareat, deinde propius accedens homo, poſt Cajus aut Sejus.

DE UNIVERSALI JURIS INTERPRETATIONE.
Titulus X.

S. *Vniverſalis* autem *Iuris interpretatio* in quonam conſiſtit? G. In extrema Juris quod cognoſcendum eſt quaſi delineatione: quæ prima eſt tabulæ futuræ apud pictores circumſcriptio. Veluti ſi Leges Platonicas quis docturus, primum omnium intelligat, libros omnino eſſe duodecim, quibus continentur; ex quibus primi quatuor, procemium Juris ac Legum continent,

tinent, ſequentes ipſa jura legesque; ultimi ſanctionem earum & judicia. S. Rectè. G. Et in lege Moſaica, liber Geneſeos pro proœmio eſt; Libri Exodi, Levitici, & Numerorum, pro ipſis legibus; & Deuteronomium pro concluſione legis. S. Intelligo. G. Nec aliter ſe res habet in *Iure civili Romanorum*. Ad cujus univerſalem intelligentiam neceſſarium eſt ut ſcias, quibus librorum generibus contineatur. S. At quænam autem illa ſunt? G. Vnum eſt Iſagogicum, quo prima Juris civilis elementa quatuor elegantiſſimis libellis Inſtitutionum deſcribuntur. S. Audio. G. Alterum genus eorum eſt librorum, quibus plene perfecteque univerſum Jus Civile continetur: qui partim ex veterum Juriſconſultorum monumentis collecti ſunt, partim ex Conſtitutionibus Imperatorum. Prioribus Pandectarum nomen eſt impoſitum, quia omnia comprehendunt; & Digeſtorum, quia certo ordine ſunt digeſti; idque, ſecundum ordinem Edicti perpetui, quod legum duodecim tabularum veſtigiis inſiſtebat. Poſteriores Codicis Juſtinianei inſcriptionem habent. quem poſt Theodoſianum ille condidit. S. Intelligo. G. Tertium genus librorum correctorium eſt, & quaſi pro ſupplemento. Nam cum nulla jura legesque tam plenè abſoluteque deſcribi poſſint, ut non auxilio & emendatione additioneque, pro rerum ac temporum commutatione, nonnunquam indigeant; his libris ea inſerta ſunt, quæ ad ſuperiorum emendationem &

ſupplementum pertinent, unde & Novellarum conſtitutionum nomen habent. S. Optimè. G. Et quidem ſi quis ſtudiis Juris Civilis tractandis veram rationem exſequi velit (omnes autem velle debent) non in id ſolum incumbet, ut hæc genera librorum diligenter evolvat, ſed eo ipſo ordine quo diximus. Quem ſi quis perturbet, aut nunquam aut ſerò admodum, & magna cum difficultate, ad id quod intendit, perveniet.

DE GENERALI JURIS INTERPRETATIONE.
Titulus XI.

S. Iam *Generalis interpretatio* quænam eſt? G. Quæ de ſingulis membris ſupradictis exquirit, in quasnam partes diſtribuantur. Haud aliter atque apud pictores fieri ſolet; qui poſt delineationem ſupradictam factam ad articulationem procedunt, dum imaginem futuram per artus membra & articulos, non exactè quidem ſed diſtinctè deſcribunt. S. Bene narras. G. Idque haud aliter, atque ſi poſt legem Moſaicam in quinque libros diſtributam, quod univerſale eſt: ſingulorum librorum quænam capita ſint, & quæ eorum ſumma ſit quæras, quod generale. S. Scitè. G. Et in *Iure civili Romanorum* poſt ſupradictam generalem cognitionem ad ſingulos libros procedas & quæ partes eorum ſint cognoſcas. Quod duobus modis fieri poteſt; uno ſine arte & altero ex arte. S. Sine arte quis eſt? G. Cum res per partes & fruſta dividitur.

Nam

Nam hac ratione Inſtitutiones in libros quatuor, libri autem in certum numerum titulorum: quod & in Pandectis & Codice obſervatur. S. Ex arte autem? G. Cum per genera & ſpecies proceditur, veluti ſi *Inſtitutiones* ita partiare, ut omne jus partim ad perſonas pertinere dicas, partim ad res, partim ad actiones; & porrò ad ſingula procedens, tum quidem perſonas per ſuas ſpecies deducas, tum verò res & actiones, nec antè conquieſcas quàm ad ſingulos titulos ſit perventum, quos hoc modo pulchra quadam œconomiâ comprehendes. Quæ eſt vera illa ratio tradendi juris, quam Cicero in libris de oratore demonſtrat. S. Verum. G. Ac quantum ad libros *Pandectarum* attinet, quoniam hoc in iis agitur, ut totam Iuris & judiciorum deſcriptionem comprehendant, (à qua re nec libri Codicis abhorrent) tria omnino ſunt capita quo cuncta revocantur. Primum ea continet quæ jura ipſa & judicia præcedunt, quæ τὰ πρῶτα ſive Priora dicuntur. Alterum Iura ipſa & Iudicia ordinaria: quæ partim civilia ſunt, partim prætoria, partim criminalia. Sequens reliqua quæ poſt jura & judicia ordinaria ſequuntur, quæ poſteriora non malè quis dixerit. Atque ab his ſummis generibus deſcendendo, tota porro ſeries rubricarum ordine pulcherrimo contexitur. In quo quædam quaſi facies Edicti perpetui & duodecim tabularum repræſentatur, ut poſt latius dicetur. S. Recte. G Nec vero ſenten-

tiam eorum probare audemus, qui elegantiſſimum ordinem Digeſtorum repudiantes, ad Inſtitutionum tria capita jus omne revocare ſtudent. Qui quidem, præterquam quod Iuſtiniano & Reipublicæ, ipſiſque Edicto perpetuo, & Duodecim tabulis, atque adeò toti Antiquitati Romanæ injuriam facere videntur; haud equidem ſcio, an ſatis (quod cum bona venia dicatur) intelligant, longe alium ordinem ac diſtributionem in Iſagogicis libellis, qui vocabulis artis potiſſimum ſerviunt; alium in rebus ipſis tradendis à doctis hominibus ſervari. Quod niſi per ſe luceret, exemplorum lumine illuſtrarem. S. Probe. G. Quanquam unum admonendum eſt, quod & ſupra attigimus; nempe *quod Artem ipſam Iuris in hoc ordine ac methodo plærique omnes ponunt, haud ita ſe habere*, ſed tertio loco ab ipſa Arte juris hanc rem abeſſe, nec quicquam habere cum ea commune; ſed aliunde, hoc eſt, ex particula quadam vulgaris Dialecticæ, quæ de Methodo tractat, ſumi. Nam quemadmodum Piſiſtratum non ob id poëtam dicas, quia libros Homeri in ordinem redegit, ſed tertio gradu ab arte poëtica abfuiſſe; quippe cum primo loco eſt Ars ipſa Poëtica, quæ in mente erat Homeri, ſecundo Poëma ipſius ex arte expreſſum, cui tertio accedebat Facultas qua poëmata diſperſa in ordinem colligebantur: Ita etiam hîc dicendum eſt, non ob id Iuriſconſultum, ſive Artis juris peritum quem eſſe quia facul-

facultate hac methodica ſit inſtructus, ſed tertio demum gradu ab ea abeſſe. Sic ut cum *primo* loco ſit ars ipſa condendarum legum, hoc eſt, Nomothetica, quæ eſt in mente legislatoris: *ſecundo* autem Leges exarte expreſſæ; *tertio* demum loco ſequatur facultas hæc extrinſecus aſſumpta, quæ leges diſſipatas ac disjectas in unum colligit, & certo ordine diſponit. De qua Cicero libellum conſcribens, cujus Aulus Gellius meminit, non *de arte juris* eum inſcribit, ſed de *Iure Civili in artem*, hoc eſt, *in ordinem redigendo.* S. Optime ſanè. G. Plane *Novellarum Conſtitutionem ordo* (quantum quidem ad Iuſtiniani diſpoſitionem attinet) non eſt alius. Nec verò eſſe debet, quam ſecundum rationem ac ſeriem temporum; prout quæq; res auxilio aut correctione indigere videbatur.

DE SPECIALI JURIS INTERPRETATIONE. Titulus XII.

S. Nunc *Specialis gradus interpretationis* quis eſt? G. Cum poſt capita illa generalia, quæ Rubricæ, ſive Tituli in Iure Civili Romanorum vocantur, ad eum modum quo dictum eſt comprehenſa, circa ſingula, tria ſummatim exquiruntur, S. Quænam autem illa? G. *Primum*, ut verborum cujusque rubricæ ſignificationem intelligas. Veluti quod circa titulum de pactis dicitur, pactum eſſe duorum vel plurium in idem placitum conſenſum. Atque adferet quidem ad eam rem maximum adjumentum, ſi tractatus Pan-

dectarum de verborum ſignificatione, ipſo ſtatim ingreſſu ſtudiorum, una cum Inſtitutionibus ediſcatur. S. Quod *Alterum?* G. Vt cujusque rubricæ ſententiam generalem ſive legem principalem teneas. Veluti cum de pactis ſic edicit Prætor: *Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adverſus leges, plebiſcita, ſenatusconſulta, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo.* Atque ubi quidem vel Edictum aut ſimile quippiam non exſtat, non omnino difficile eſt generalem ſententiam rubricæ paucis verbis comprehendere. S. Quod *Reliquum?* G. Vt præter legis conſtitutionem etiam ratio ejus intelligatur. Veluti cum de pactis ita dicit Ulpianus: *Hujus Edicti æquitas naturalis eſt; quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea quæ inter nos placuerunt ſervare?* Ad quam rem plurimum juvabit tractatus Pandectarum de Regulis Iuris antiqui. Quem & ipſum in principio ſtudiorum ediſcere oportet, ſic ut primus locus libellis Inſtitutionum, ſecundus utrique tractatui de Verborum ſignificatione & Regulis Iuris, tertius rubricis Pandectarum Codicis & Novellarum tribuatur. Qui eſt primi anni ſtudiorum labor. S. Optimè. G. Quem qui bene collocarit, ad ſequentia facilem ſibi viam munierit: qui vero minus, multum cum iis conflictabitur, & proficiet parum. Nam hæc pars bene percepta, & ad artem ipſam ac ſcientiam legalem revocata,

& pri-

& prima eſt, & ultima, & media univerſi ſtudii Iuris Civilis.

DE PLENA ET PERFECTA JURIS ET LEGUM INTERPRETATIONE.

Titulus XIII.

S. Deinceps de plena perfectaque Scholaſtica ratione exſpecto ut dicas. G. Hæc in duobus conſiſtit. S. Quibus autem illis? G. *Primum* ut generaliter quæ ſub quoque titulo vel rubrica comprehenſa ſunt, explicentur: *tum* ut ad ſingula deſcendatur. S. Quo pacto generaliter? G. Si nimirum antequam ad ſingula venias, ſummam totius tituli & ordinem breviter ſtrictimque ob oculos ponas: quæ res mirificè & ad intelligentiam, & ad memoriam, & ad animos exſuſcitandos prodeſt. S. Quo pacto ad ſingula deſcendendo? G. Cum ſingulæ leges quàm fieri poteſt exactiſſime enodantur. Dicemus autem de uno & altero.

DE SINGULORUM TITVLORVM INTERPRETATIONE.

Titulus XIV.

S. Singulorum autem titulorum, & eorum quæ ſub iis continentur, interpretatio quonam modo potiſſimum fieri debet? G. Certe cùm ea res à nonnullis ſic tractetur, ut nulla habita ratione ordinis Iuſtinianei, ipſi ſibi novum ordinem cujusque tractatus conſtituant; ut apud eos qui Summas conſcripſere, videre

videre licet; à nonnullis autem ita, ut Iuſtiniani quidem capita in interpretando ſequantur, ſed tanquam ſcopas diſſolutas, quod dicitur, & quæ nullo modo inter ſe cohæreant: recta ratio videtur, ut prout quisque Liber Iuris & quo ordine ſcriptus eſt, ita ſit exponendus. S. Qui ſic autem? G. Nam primum de *Inſtitutionibus* nemo ut puto ambigit, quin quæ ſub quoque titulo poſita ſunt, certa ratione atque ordine ſint digeſta. S. Rectè. G. Deinde *Codex* ita compoſitus eſt, ut quæ ſub rubrica ſunt Principum conſtitutiones, non quidem pro rerum, ſed temporum ſerie, prout quisque Imperator prior poſteriorve vixerit, ſint collocatæ. S. Probe. G. Ac quantum ad *Pandectas* attinet, in iis rerum eſt artificioſa certaque digeſtio ac diſtributio: quòd tum quidem inde manifeſtè colligitur, quod ſæpe ad unam ſententiam explendam, plura legum capita, ex diverſis Iuriſconſultis deſumpta, connectuntur: tum verò ex eo quod nonnulli tituli prolixiores in certas partes dividuntur. Vt in titulo de verborum obligationibus, qui in tres partes diſtributus eſt, apparet. Ac quamquam quidem non omnia Iuriſconſultorum reſponſa ita cohæreant ut continuam orationem faciant, (id enim multitudo rerum ſingularum non patitur) verum tamen eſt, unamquamque rubricam certis capitibus ordine diſpoſitis conſtare, quæ ſua quæque reſponſa ſub ſe habeant. Idque duobus ferè modis. S. Dic quibus? G. *Vno*, cum propo-

propoſito Edicto Prætoris Ædiliſve, vel Lege, aut Senatuſconſulto, Orationeve Principis, ad ejus interpretationem reliqua applicantur. Vt in plærisque omnibus Titulis de interdictis, aliisque non paucis videre licet. S. Intelligo. G. *Altero*, cum certis propoſitis quaſi locis, ad eorum numerum Reſponſa Prudentum accommodantur. Veluti cum in Titulo de ſuſpectis tutoribus & curatoribus, primum tractatur unde deſcendat ſuſpecti crimen, & apud quos poſtulari quis poſſit ſuſpectus; deinde quis, & à quo, & ex quibus cauſis removeatur, & de pœna ſuſpecti. Atque hæc quidem capita licet non ſemper, imo perraro nominatim exprimantur; plerumque tamen inſunt; ſiquis ordinem cujusque tituli diligenter conſideret. Et fit non infrequenter, ut quoddam reperiatur totius Tituli quaſi Prooemium, & item Epilogus. Veluti cùm totâ materiâ interpretationis conſumptâ, quædam ſine ordine ſubjiciuntur, quæ ſub Edicti verba vel Tituli capita commodè non cadebant. S. Bene dicis. G. In *Novellis* autem quoniam una ferè res duntaxat ſub quaque conſtitutione tractatur, nihil admodum de ordine laboratur; & ſi plura ſubinde congeruntur, ipſa ſe produnt.

DE SINGULARUM LEGUM INTERPRETATIONE.

Titulus XV.

Nunc *ſingularum autem legum* quonam modo

ſit *interpretatio*? G. Ea vero *quatuor* omnino rebus conſtat. S. Quibus vero illis? G. *Vna*, quæ legis ipſius eſt, & in ipſa collocata: *altera*, quæ rationis legis, & ſupra eam eſt poſita: *ſequens*, quæ vis ejus eſt & effectus & ex illa effluit infraque illam deſcendit: & *ultimà*, mixta, quæ plures leges inter ſe comparans pugnam earum, quam antinomiam vocant, diſſolvit. S. Præclare narras. G. Ac *prima* quidem inde naſcitur quod in omni re enodanda, quid ipſa ſit, & quid velit, ante omnia exquirendum eſt: *Secunda*, quod ubi quid quidve ſit, & quid velit, cognoris; ad hoc te fert natura, ut cur ita ſe habeat, aveas cognoſcere: *Tertia*, quòd poſt naturam & cauſam cujusque rei exploratam, vim ejus & effectum ſcire deſideras. Quibus exploratis, quoniam ita comparatum eſt, ut non ſingulis rebus ſeorſim, ſed univerſis conjuncte in vita utamur: ſuccedit naturali ratione *Quarta* diſpectio: ut poſtquam res ſingulas per ſe contemplati ſumus, cum aliis eas comparemus, & an omnia apta ſint & inter ſe convenientia, diſpiciamus. Nos primam partem *Hiſtoricam*, alteram *Etymologicam*, ſequentem *Practicam*, ultimam *Analogicam*, ſecundum veterum veſtigia vocabimus.

DE INTERPRETATIONE HISTORICA. Titulus X.

S. Primum autem *Hiſtoricam interpretationem* quam vocas? G. Quæ quidnam lex velit exponit. S. Audio

G. Ad quam quidem rem primum omnium neceſſarium eſt, ut de *ſcriptura* ejus conſtet. Non quidem pro eorum ſenſu & arbitrio, qui nec rerum uſu, nec vera ſcientia imbuti, leges ſacroſanctas, quæ inviolatæ eſſe debent, ſuis correctionibus, quas vocant, contaminare non verentur, & ex certis incertas reddere: ſed ſecundum communem uſum, qui ab omni memoria receptus, & perpetua prudentum interpretatione confirmatus eſt; aut certus ex emendatione eorum, qui omnibus rebus ad eam rem neceſſariis inſtructi, ætate graves, eruditione præſtantes, uſu rerum prudentes, publica auctoritate ad id fuerint conſtituti S. Probe narras. G. Vbi de ſcriptura conſtat, *altera* cura eſt, ut ſi qua verba ſint obſcuriora, exponantur; ſi qua prænoſcenda præmuniantur; ſi qua memoria antiquitatis altius repetenda & replicanda eſt, & ſi quæ ſunt his ſimilia, quæ ex elegantiori eruditione fere depromuntur. Quæ quidem ob eam rem minime negligenda, ſed ſtudioſe colenda eſt vero Iuriſconſulto futuro; ſic tamen ut modus adhibeatur, & quid inter ea quæ non ignoranda ſunt, & quæ omnino cognoſcenda diſcriminis ſit, intelligatur: nam pervagatum eſt, verborum priorem rerum potiorem debere eſſe curam. S. Sic eſt, G His explanatis, per ſe fere lucet, quidnam lex velit, nec aliud reſtat quam ut brevi ſumma ſententia ejus comprehendatur, & poſita ob oculos facti ſpecie in ipſum quaſi forum

producatur. Quæ res multos habet uſus accommodi-tates; tam ad legis ſenſum facilius percipiendum, quàm ad juvenum animos ad quæſtiones Iuris aſſuefaciendos. S. Revera dicis. G. Atque hæc quidem cum ad ſubſtantiam legis pertineant. Si quæ porrò in eâdem ſe offerant, quæ partes ejus, & virtutes, gradusque, & alia naturalia quæ ſupra vocavimus, ſpectant; & ipſorum nominatim mentio fieri debet. S. Teneo. G. Vltra quæ ſi & circa formas externas Legis aliquid occurrat, nec non circa ejus originem; & ipſum debet admoneri, ne quidquam quod ad hiſtoricam ejus intelligentiam pertinet, omittatur. S. Rectè. G. In qua quidem re vitium unum quod vitari debet, eſt, ne apprehenſis verbis legis, contra ejus nitare voluntatem; quod, ut ſupra tradidimus, eſt fraudem facere legi.

DE INTERPRETATIONE ETYMOLOGICA.
Titulus XVII.

S. De hinc *Etymologicum interpretandi genus* quod appellas? G. Ei hoc propoſitum eſt, ut legis propoſitæ veritatem, unde nomen habet, exquirat, ita indagando cauſam & rationem (à qua re & Analogica interpretatio dici poteſt) cur ita ſit conſtituta. Qua quidem re nihil nec pulchrius, nec cum ipſa diſciplina legali conjunctius in toto hoc ſtudio invenitur. Et quidem quemadmodum de Dædali ſtatuis fertur, pulcher-

pulcherrimas quidem eas eſſe, ſed ſolutas mox fugere, ligatas autem manere; ita Legis cognitio perpulchra quidem eſt; ſed niſi ratione ligetur, mox fugit ex animo; confirmata autem & colligata ratione, ſemper permanet. S. Quid, hæc autem interpretatio quotuplex eſt? G. *Duplex*. S. Quid ita verò? G. Nam *Vna* eſt, ut quænam dubitandi juſta ſit ratio exquiratur. Haud ferè de iis quæ nullam dubitationem habent, leges ferri ſolent; ſed judicia duntaxat conſtitui, quibus rectè facta præmio; contraria pœna afficiuntur. S. Rectè. G. *Altera*, ut quamobrem ita conſtitutum fuerit, explicetur. Quod ea re tenetur, non quidem ut vulgaribus illis rationibus, quas communiter exquirunt, & quæ vagæ & incertæ ſunt, contenti ſimus; ſed ut ad ſua propria veraque principia quamque legem revocemus, & quibus *rationibus*, *cauſis*, & *occaſionibus*, conſtet, intelligamus. S. Rectè. G. Inter quæ quidem tria hoc intereſt; quod *ratio* eſt quæ in natura ipſa eſt inſita, ſive res qua de lex facienda eſt adſit, ſive non ſit. Veluti non perrumpere aggeres, ne aqua noceat; id enim per ſe æquum eſſe quisque perſpicit, ſive regio aggeres habeat, ſive non habeat. *Cauſa* eſt, cum non tantum ratio, verùm etiam res adeſt quæ legem fieri ſuadet; ut ſi aggeres ſint in provincia: nam fruſtra ferè leges de aggeribus non rumpendis feras, ſi nulli ſunt aggeres. *Occaſio* eſt, quæ poſt rationem & cauſam oportunitatem conſtituendæ le-

gis tribuit, quæ ſæpe expectanda eſt, ut aptius latio legis cadat. Veluti ſi poſt inſigne aliquod damnum, quod aggeribus perrumpendis contigit, lex fiat de non rumpendis aggeribus. Atque hoc quidem modo circa poſtulationem mulierum apud Romanos prohibitam; occaſio erat improbitas Calpurniæ; cauſa, communis uſus poſtulandi mulierum; ratio, pudor ſexus. S. Bene dicis. C. Et quidem in his rebus, *primum* ipſius ſubſtantiæ legis indaganda eſt ratio, quæ in ſubjecto & prædicato, ſtatuque conjecturali, definitivo, vel juridiciali conſiſtit: *deinde* autem eorum quæ proximè accedunt ad ſubſtantiàm; cujusmodi ſunt partes, virtutes, gradus, & alia naturalia legis, de quibus ſupra eſt expoſitum: *tum vero* formarum externarum legis, ſi quæ ſunt; nam non omnia ubique, ſed alia alibi ſe offerunt. S. Probe. G. Ac vitium quidem, quod in hoc genere fugi debet, eſt, ne ſi rationem non invenias, mox Legem ſine ratione eſſe clames. Nam præterquam *quod non omnium quæ à majoribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt;* tum nihil eſt pernicioſius in civitate, quàm hujuſmodi voces admittere. Et ideo apud Lacedæmonios prohibitum olim fuiſſe Plato refert, ne adoleſcentes in Legum rationes inquirerent, niſi eſſent, qui ad rempublicam regendam ac gubernandam ſub magiſtris educarentur: de quibus hîc agimus.

DE

DE INTERPRETATIONE PRACTICA. Titulus XIIX.

S. Nunc *Practicum Interpretandi genus* quodnam eſt? G Quod vim & effectum legis propoſitæ explicat. Nam ſcire leges, non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem. S. Id autem quibus rebus continetur? G. *Primum*, ut præter expreſſam Legis voluntatem, tacitam etiam eruamus. Nam cum verba cujusque Legis partim ad rem pertineant qua de agitur, ut parentes; partim ad conſtitutionem de re, ut honora; ea legis voluntas *expreſſa* dicitur, quæ verbis utriusque generis claris & apertis, ſecundùm propriam eorum ſignificationem demonſtratur. Ea autem *tacita*, quæ deficientibus verbis propriis, ſive utrisque, ſive alterutro eorum, ex latiore aut reſtrictiore eorum ſignificatione vel ratione legis deducitur. Nam ſi lex dicat, genitorem honora; patrem honorandum eſſe expreſſum eſt, matrem autem tacitum, ex verbi genitoris productione, & rationis æqualitate: nam ubi eadem eſt ratio, eadem quoque eſſe debet Juris diſpoſitio. S. Teneo. G. *Secundò*, in eo conſiſtit hæc interpretatio Practica, quòd quædam reipſa à Legis conſtitutione prorſus abſunt, quorum tamen effectum ſi conſideres, in vim ejus cadunt. Nam hac ratione alia caduca dicuntur, alia in vim caduci cadere. Et inteſtatus licet propriè is ſit qui nullum teſtamentum condidit, vi tamen & effectu inteſtatus etiam eſt, cujus

cujus teſtamentum nullum editum habuit. Nec alio pertinet, quod quædam licet ad rei ipſius naturam ac ſubſtantiam non pertingant, vi tamen & effectu quaſi res ipſa cenſentur: ut quaſi contractus, quaſi delicta, & alia de genere eodem. S. Intelligo. G. *Tertiò* quoque ad hanc interpretationem practicam referendum eſt, quod ex ſpecialibus legum conſtitutionibus generales quædam ſententiæ nonnunquam eliciuntur. Quod genus acutum eſt & fructuoſum inprimis; dummodo modus teneatur, & non longè petita ſed ultro oblata ſint quæ annotantur, ne in infinitum res creſcat. S. Bene dicis. G. *Quartum* quod huc pertinet eſt, cum aliquæ circa Legem propoſitam quæſtiones moventur. Quod tum quidem plenioris intelligentiæ cauſa fit, tum vero ad vim & effectum uſumque ejus demonſtrandum. In utroque autem diligenter cavendum eſt, ne quid nimis. S. Verum. G. Atque ex his quidem Practicæ interpretationis partibus omnia dependent, quæ ad extendendam aut reſtringendam Legem pertinent.

DE ANALOGICA INTERPRETATIONE. Titulus XIX.

S. Dehinc *Analogica interpretatio* quænam eſt? G. Quæ circa hoc verſatur, ut quæ in ſpeciem contrariæ ac pugnantes Leges videntur, ratione quadam concilientur. Quod quatuor vias habet. S. Quæ eſt *Prima*? G. Vt verbis legum, auctoribus, locis, antecedentibus,

bus, conſequentibus, conjunctis, ſubtiliter notatis, diſpicias ecquid rés de quibus quaque lege agitur eædem ſint an diverſæ. Nam ſi diverſæ ſint, nulla poteſt eſſe antinomia; ſi eædem iisdem modis, ſubtiliter notandum eſt, utrum conſtitutiones earum conveniant, an verò diſcrepent: quoniam ſi conveniant, nulla quoque antinomia eſt. S. Quæ *Secunda*? G. Vt in legum diſcrepantia videas, quo pacto quæque lex loquatur. Nam ſi una hoc agat ut jus faciat, altera vero non, ſed hoc duntaxat ut craſſa Minerva, exemplo, vel aliter rem declaret, ut in libris Inſtitutionum nonnunquam accidit; res ipſa demonſtrat, quæ cui præferri aut cedere debeat. S. Quæ *Tertia?* G. Vt ceſſante ſupradicta conciliatione, temporum quibus leges conditæ ſint, ratio habeatur. Nam non eſt novum, ut priores leges ad poſteriores trahantur, quoad diſcrepantia earum tollatur. Cui accedit quod inter legum conditores alii auctoritate præſtant aliis, & quod ex duabus legibus contrariis una ſæpe pluribus Iuris locis juvatur, alia non item: in quo non exiguum poſitum eſt momentum S. Quæ *Quarta?* G. Vt ſi omnibus ſupradictis tentatis, nihil adhuc explicetur, diligenter conſideres quæ lex cui ſpeciei juſtitiæ, veluti rigori aut æquitati, diſtributivæ aut commutativæ, & ſic deinceps, magis congruat; & quæ quibus rationibus, hoc eſt, internis an externis, phyſicis an logicis vel moralibus, & ſic deinceps,

nitatur. His enim adnimadverſis, non difficilè dijudicatur, quæ cui præponderare debeat; idque tum quidem pro quaque re, tum autem ex generali regula quæ tradit, in omnibus rebus potiorem juſtitiæ æquitatisque quàm ſtricti juris debere eſſe rationem.

II. DE FORENSI IVRIS AC LEGVM INTERPRETATIONE.

Titulus XX.

S. Quoniam de Scholaſtica Juris ac Legum interpretatione dictum eſt, deinceps de FORENSI, quam ſecundam poſuiſti, volo ut exponas. G Hæc ita dicitur: non quidem quia in Scholis non attingitur; ſed quoniam in foro ac judicio ejus potiſſimum eſt uſus. S. In quo autem conſiſtit? G Vt rebus in vita communi foroque verſantibus Jura legesque accommodentur, ad eas dirigendas ac gubernandas. S. Quid; quomodo eam dividis ac diſtinguis? G. In Legis Actiones, & Quæſtiones fori.

DE ACTIONIBVS LEGIS.

Titulus XXI.

S. De Legis Actionibus quid ais? G. Eas hic voco per quas à Legibus ad res forenſes deſcenditur, idque tam *uſum* earum in vita communi, quam *Cautiones* ex iis, & *Formulas experiendi*, demonſtrando. S. *Vſus* autem quomodo demonſtratur? G. Cum oſtenditur, quo pacto id quod Legibus deſcriptum eſt, in vita

vita communi, vel in foro vocetur, & quo pacto reipſa ad effectum deducatur. Nam quotidie videmus, unam atque eandem Legum conſtitutionem diverſis modis apud alias atq; alias nationes executioni mandari. Quæ res haud paulo fructuoſior eſt, quam ad duodecim Tabularum, aut Romuli, aut ſi quæ ſunt alia vetera & obſoleta Jura, quæ ne ab antiquis quidem Juriſconſultis ipſis ſatis intelligebantur, homines revocare; & dum illis plusquam decet adhæreſcunt, inutiles ad rempublicam & judicia efficere. Niſi fortè rei intelligentia id exigat, quod perrarum eſt; vel ad elegantiorem doctrinam obiter fiat, quod liberale; vel denique Grammaticum, non Juriſconſultum quis ſe profiteatur; cui ſanè habenda gratia eſt, quod ſtudia noſtra pro virili parte juvare conatur. S. Quæ ſunt *Cautiones?* S. Quæ oſtendunt quo pacto quæque res ſecundum Juris ac Legum præſcriptionem agi contrahive debeat, ut in tuto ipſa ſit & cautum ſit contrahentibus. Veluti fit, dum Jus civile doces oſtendas, quibus modis & quibus verborum formulis teſtamenta rectè condi, ſponſalia fieri, ſtipulationes concipi debeant. S. Quæ *Experiendi in Iure formulæ?* G. Conceptiones actionum & exceptionum, quibus de Jure ſuo homines in judicio contendunt. Quas bene deſcribere, permagni ferè intereſſe, & in non minimâ parte Juriſprudentiæ poni ſolet; tam

dectarum de verborum ſignificatione, ipſo ſtatim ingreſſu ſtudiorum, una cum Inſtitutionibus ediſcatur. S. Quod *Alterum?* G. Vt cujusque rubricæ ſententiam generalem ſive legem principalem teneas. Veluti cum de pactis ſic edicit Prætor: *Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adverſus leges, plebiſcita, ſenatusconſulta, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo.* Atque ubi quidem vel Edictum aut ſimile quippiam non exſtat, non omnino difficile eſt generalem ſententiam rubricæ paucis verbis comprehendere. S. Quod *Reliquum?* G. Vt præter legis conſtitutionem etiam ratio ejus intelligatur. Veluti cum de pactis ita dicit Ulpianus: *Hujus Edicti æquitas naturalis eſt; quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea quæ inter nos placuerunt ſervare?* Ad quam rem plurimum juvabit tractatus Pandectarum de Regulis Iuris antiqui. Quem & ipſum in principio ſtudiorum ediſcere oportet, ſic ut primus locus libellis Inſtitutionum, ſecundus utrique tractatui de Verborum ſignificatione & Regulis Iuris, tertius rubricis Pandectarum Codicis & Novellarum tribuatur. Qui eſt primi anni ſtudiorum labor. S. Optimè. G. Quem qui bene collocarit, ad ſequentia facilem ſibi viam munierit: qui vero minus, multum cum iis conflictabitur, & proficiet parum. Nam hæc pars bene percepta, & ad artem ipſam ac ſcientiam legalem revocata,

& pri-

& prima eſt, & ultima, & media univerſi ſtudii Iuris Civilis.

DE PLENA ET PERFECTA JURIS ET LEGUM INTERPRETATIONE.

Titulus XIII.

S. Deinceps de plena perfectaque Scholaſtica ratione exſpecto ut dicas. G. Hæc in duobus conſiſtit. S. Quibus autem illis? G. *Primum* ut generaliter quæ ſub quoque titulo vel rubrica comprehenſa ſunt, explicentur: *tum* ut ad ſingula deſcendatur. S. Quo pacto generaliter? G. Si nimirum antequam ad ſingula venias, ſummam totius tituli & ordinem breviter ſtrictimque ob oculos ponas: quæ res mirificè & ad intelligentiam, & ad memoriam, & ad animos exſuſcitandos prodeſt. S. Quo pacto ad ſingula deſcendendo? G. Cum ſingulæ leges quàm fieri poteſt exactiſſime enodantur. Dicemus autem de uno & altero.

DE SINGULORUM TITVLORVM INTERPRETATIONE.

Titulus XIV.

S. Singulorum autem titulorum, & eorum quæ ſub iis continentur, interpretatio quonam modo potiſſimum fieri debet? G. Certe cùm ea res à nonnullis ſic tractetur, ut nulla habita ratione ordinis Iuſtinianei, ipſi ſibi novum ordinem cujusque tractatus conſtituant; ut apud eos qui Summas conſcripſere, videre

videre licet; à nonnullis autem ita, ut Iuſtiniani quidem capita in interpretando ſequantur, ſed tanquam ſcopas diſſolutas, quod dicitur, & quæ nullo modo inter ſe cohæreant: recta ratio videtur, ut prout quisque Liber Iuris & quo ordine ſcriptus eſt, ita ſit exponendus. S. Qui ſic autem? G. Nam primum de *Inſtitutionibus* nemo ut puto ambigit, quin quæ ſub quoque titulo poſita ſunt, certa ratione atque ordine ſint digeſta. S. Rectè. G. Deinde *Codex* ita compoſitus eſt, ut quæ ſub rubrica ſunt Principum conſtitutiones, non quidem pro rerum, ſed temporum ſerie, prout quisque Imperator prior poſteriorve vixerit, ſint collocatæ. S. Probe. G. Ac quantum ad *Pandectas* attinet, in iis rerum eſt artificioſa certaque digeſtio ac diſtributio: quòd tum quidem inde manifeſtè colligitur, quod ſæpe ad unam ſententiam explendam, plura legum capita, ex diverſis Iuriſconſultis deſumpta, connectuntur: tum verò ex eo quod nonnulli tituli prolixiores in certas partes dividuntur. Vt in titulo de verborum obligationibus, qui in tres partes diſtributus eſt, apparet. Ac quamquam quidem non omnia Iuriſconſultorum reſponſa ita cohæreant ut continuam orationem faciant, (id enim multitudo rerum ſingularum non patitur) verum tamen eſt, unamquamque rubricam certis capitibus ordine diſpoſitis conſtare, quæ ſua quæque reſponſa ſub ſe habeant. Idque duobus ferè modis. S. Dic quibus? G. *Vno*, cum propo-

propoſito Edicto Prætoris Ædiliſue, vel Lege, aut Senatuſconſulto, Orationeve Principis, ad ejus interpretationem reliqua applicantur. Vt in plærisque omnibus Titulis de interdictis, aliisque non paucis videre licet. S. Intelligo. G. *Altero*, cum certis propoſitis quaſi locis, ad eorum numerum Reſponſa Prudentum accommodantur. Veluti cum in Titulo de ſuſpectis tutoribus & curatoribus, primum tractatur unde deſcendat ſuſpecti crimen, & apud quos poſtulari quis poſſit ſuſpectus; deinde quis, & à quo, & ex quibus cauſis removeatur, & de pœna ſuſpecti. Atque hæc quidem capita licet non ſemper, imo perraro nominatim exprimantur; plerumque tamen inſunt; ſiquis ordinem cujusque tituli diligenter conſideret. Et fit non infrequenter, ut quoddam reperiatur totius Tituli quaſi Procemium, & item Epilogus. Veluti cùm totâ materiâ interpretationis conſumptâ, quædam ſine ordine ſubjiciuntur, quæ ſub Edicti verba vel Tituli capita commodè non cadebant. S. Bene dicis. G. In *Novellis* autem quoniam una ferè res duntaxat ſub quaque conſtitutione tractatur, nihil admodum de ordine laboratur; & ſi plura ſubinde congeruntur, ipſa ſe produnt.

DE SINGULARUM LEGUM INTERPRETATIONE.

Titulus XV.

Nunc *ſingularum autem legum* quonam modo

ſit *interpretatio*? G. Ea vero *quatuor* omnino rebus conſtat. S. Quibus vero illis? G. *Vna*, quæ legis ipſius eſt, & in ipſa collocata: *altera*, quæ rationis legis, & ſupra eam eſt poſita: *ſequens*, quæ vis ejus eſt & effectus & ex illa effluit infraque illam deſcendit: & *ultimà*, mixta, quæ plures leges inter ſe comparans pugnam earum, quam antinomiam vocant, diſſolvit. S. Præclare narras. G. Ac *prima* quidem inde naſcitur quod in omni re enodanda, quid ipſa ſit, & quid velit, ante omnia exquirendum eſt: *Secunda*, quod ubi quid quidve ſit, & quid velit, cognoris; ad hoc te fert natura, ut cur ita ſe habeat, aveas cognoſcere: *Tertia*, quòd poſt naturam & cauſam cujusque rei exploratam, vim ejus & effectum ſcire deſideras. Quibus exploratis, quoniam ita comparatum eſt, ut non ſingulis rebus ſeorſim, ſed univerſis conjunctè in vita utamur: ſuccedit naturali ratione *Quarta* diſpectio: ut poſtquam res ſingulas per ſe contemplati ſumus, cum aliis eas comparemus, & an omnia apta ſint & inter ſe convenientia, diſpiciamus. Nos primam partem *Hiſtoricam*, alteram *Etymologicam*, ſequentem *Practicam*, ultimam *Analogicam*, ſecundum veterum veſtigia vocabimus.

DE INTERPRETATIONE HISTORICA.
Titulus X.

S. Primum autem *Hiſtoricam interpretationem* quam vocas? G. Quæ quidnam lex velit exponit. S. Audio

G. Ad

G. Ad quam quidem rem primum omnium neceſſarium eſt, ut de *ſcriptura* ejus conſtet. Non quidem pro eorum ſenſu & arbitrio, qui nec rerum uſu, nec vera ſcientia imbuti, leges ſacroſanctas, quæ inviolatæ eſſe debent, ſuis correctionibus, quas vocant, contaminare non verentur, & ex certis incertas reddere: ſed ſecundum communem uſum, qui ab omni memoria receptus, & perpetua prudentum interpretatione confirmatus eſt; aut certus ex emendatione eorum, qui omnibus rebus ad eam rem neceſſariis inſtructi, ætate graves, eruditione præſtantes, uſu rerum prudentes, publica auctoritate ad id fuerint conſtituti S. Probe narras. G. Vbi de ſcriptura conſtat, *altera* cura eſt, ut ſi qua verba ſint obſcuriora, exponantur; ſi qua prænoſcenda præmuniantur; ſi qua memoria antiquitatis altius repetenda & replicanda eſt, & ſi quæ ſunt his ſimilia, quæ ex elegantiori eruditione fere depromuntur. Quæ quidem ob eam rem minime negligenda, ſed ſtudioſe colenda eſt vero Iuriſconſulto futuro; ſic tamen ut modus adhibeatur, & quid inter ea quæ non ignoranda ſunt, & quæ omnino cognoſcenda diſcriminis ſit, intelligatur: nam pervagatum eſt, verborum priorem rerum potiorem debere eſſe curam. S. Sic eſt, G. His explanatis, per ſe fere lucet, quidnam lex velit, nec aliud reſtat quam ut brevi ſumma ſententia ejus comprehendatur, & poſita ob oculos facti ſpecie in ipſum quaſi forum

pulcherrimas quidem eas eſſe, ſed ſolutas mox fugere, ligatas autem manere; ita Legis cognitio perpulchra quidem eſt; ſed niſi ratione ligetur, mox fugit ex animo; confirmata autem & colligata ratione, ſemper permanet. S. Quid, hæc autem interpretatio quotuplex eſt? G. *Duplex*. S. Quid ita verò? G. Nam *Una* eſt, ut quænam dubitandi juſta ſit ratio exquiratur. Haud ferè de iis quæ nullam dubitationem habent, leges ferri ſolent; ſed judicia duntaxat conſtitui, quibus rectè facta præmio; contraria pœna afficiuntur. S. Rectè. G. *Altera*, ut quamobrem ita conſtitutum fuerit, explicetur. Quod ea re tenetur, non quidem ut vulgaribus illis rationibus, quas communiter exquirunt, & quæ vagæ & incertæ ſunt, contenti ſimus; ſed ut ad ſua propria veraque principia quamque legem revocemus, & quibus *rationibus*, *cauſis*, & *occaſionibus*, conſtet, intelligamus. S. Rectè. G. Inter quæ quidem tria hoc intereſt; quod *ratio* eſt quæ in natura ipſa eſt inſita, ſive res qua de lex facienda eſt adſit, ſive non ſit. Veluti non perrumpere aggeres, ne aqua noceat; id enim per ſe æquum eſſe quiſque perſpicit, ſive regio aggeres habeat, ſive non habeat. *Cauſa* eſt, cum non tantum ratio, verùm etiam res adeſt quæ legem fieri ſuadet; ut ſi aggeres ſint in provincia: nam fruſtra ferè leges de aggeribus non rumpendis feras, ſi nulli ſunt aggeres. *Occaſio* eſt, quæ poſt rationem & cauſam oportunitatem conſtituendæ le-

gis tribuit, quæ ſæpe expectanda eſt, ut aptius latio legis cadat. Veluti ſi poſt inſigne aliquod damnum, quod aggeribus perrumpendis contigit, lex fiat de non rumpendis aggeribus. Atque hoc quidem modo circa poſtulationem mulierum apud Romanos prohibitam; occaſio erat improbitas Calpurniæ; cauſa, communis uſus poſtulandi mulierum; ratio, pudor ſexus. S. Bene dicis. G. Et quidem in his rebus, *primum* ipſius ſubſtantiæ legis indaganda eſt ratio, quæ in ſubjecto & prædicato, ſtatuque conjecturali, definitivo, vel juridiciali conſiſtit: *deinde* autem eorum quæ proximè accedunt ad ſubſtantiàm; cujusmodi ſunt partes, virtutes, gradus, & alia naturalia legis, de quibus ſupra eſt expoſitum: *tum vero* formarum externarum legis, ſi quæ ſunt; nam non omnia ubique, ſed alia alibi ſe offerunt. S. Probe. G. Ac vitium quidem, quod in hoc genere fugi debet, eſt, ne ſi rationem non invenias, mox Legem ſine ratione eſſe clames. Nam præterquam *quod non omnium quæ à majoribus conſtituta ſunt ratio reddi poteſt;* tum nihil eſt pernicioſius in civitate, quàm hujuſmodi voces admittere. Et ideo apud Lacedæmonios prohibitum olim fuiſſe Plato refert, ne adoleſcentes in Legum rationes inquirerent, niſi eſſent, qui ad rempublicam regendam ac gubernandam ſub magiſtris educarentur: de quibus hîc agimus.

DE INTERPRETATIONE PRACTICA. Titulus XIIX.

S. Nunc *Practicum Interpretandi genus* quodnam eſt? G Quod vim & effectum legis propoſitæ explicat. Nam ſcire leges, non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem. S. Id autem quibus rebus continetur? G. *Primum*, ut præter expreſſam Legis voluntatem, tacitam etiam eruamus. Nam cum verba cujusque Legis partim ad rem pertineant qua de agitur, ut parentes; partim ad conſtitutionem de re, ut honora; ea legis voluntas *expreſſa* dicitur, quæ verbis utriusque generis claris & apertis, ſecundùm propriam eorum ſignificationem demonſtratur. Ea autem *tacita*, quæ deficientibus verbis propriis, ſive utrisque, ſive alterutro eorum, ex latiore aut reſtrictiore eorum ſignificatione vel ratione legis deducitur. Nam ſi lex dicat, genitorem honora; patrem honorandum eſſe expreſſum eſt, matrem autem tacitum, ex verbi genitoris productione, & rationis æqualitate: nam ubi eadem eſt ratio, eadem quoque eſſe debet Juris diſpoſitio. S. Teneo. G. *Secundò*, in eo conſiſtit hæc interpretatio Practica, quòd quædam reipſa à Legis conſtitutione prorſus abſunt, quorum tamen effectum ſi conſideres, in vim ejus cadunt. Nam hac ratione alia caduca dicuntur, alia in vim caduci cadere. Et inteſtatus licet propriè is ſit qui nullum teſtamentum condidit, vi tamen & effectu inteſtatus etiam eſt,

cujus

cujus teſtamentum nullum exitum habuit. Nec alio pertinet, quod quædam licet ad rei ipſius naturam ac ſubſtantiam non pertingant, vi tamen & effectu quaſi res ipſa cenſentur: ut quaſi contractus, quaſi delicta, & alia de genere eodem. S. Intelligo. G. *Tertio* quoque ad hanc interpretationem practicam referendum eſt, quod ex ſpecialibus legum conſtitutionibus generales quædam ſententiæ nonnunquam eliciuntur. Quod genus acutum eſt & fructuoſum inprimis; dummodo modus teneatur, & non longè petita ſed ultro oblata ſint quæ annotantur, ne in infinitum res creſcat. S. Bene dicis. G. *Quartum* quod huc pertinet eſt, cum aliquæ circa Legem propoſitam quæſtiones moventur. Quod tum quidem plenioris intelligentiæ cauſa fit, tum vero ad vim & effectum uſumque ejus demonſtrandum. In utroque autem diligenter cavendum eſt, ne quid nimis. S. Verum. G. Atque ex his quidem Practicæ interpretationis partibus omnia dependent, quæ ad extendendam aut reſtringendam Legem pertinent.

DE ANALOGICA INTERPRETATIONE. Titulus XIX.

S. Dehinc *Analogica interpretatio* quænam eſt? G. Quæ circa hoc verſatur, ut quæ in ſpeciem contrariæ ac pugnantes Leges videntur, ratione quadam concilientur. Quod quatuor vias habet. S. Quæ eſt *Prima*? G. Vt verbis legum, auctoribus, locis, antecedentibus,

bus, conſequentibus, conjunctis, ſubtiliter notatis, diſpicias ecquid rés de quibus quaque lége agitur eædem ſint an diverſæ. Nam ſi diverſæ ſint, nullà poteſt eſſe antinomia; ſi eædem iisdem modis, ſubtiliter notandum eſt, utrum conſtitutiones earum conveniant, an verò diſcrepent: quoniam ſi conveniant, nulla quoque antinomia eſt. S. Quæ *Secunda*? G. Vt in legum diſcrepantia videas, quo pacto quæque lex loquatur. Nam ſi una hoc ágat ut jus faciat, altera vero non, ſed hoc duntaxat ut craſſa Minerva, exemplo, vel aliter rem declaret, ut in libris Inſtitutionum nonnunquam accidit; res ipſa demonſtrat, quæ cui præferri aut cedere debeat. S. Quæ *Tertia?* G. Vt ceſſante ſupradicta conciliatione, temporum quibus leges conditæ ſint, ratio habeatur. Nam non eſt novum, ut priores leges ad poſteriores trahantur, quoad diſcrepantia earum tollatur. Cui accedit quod inter legum conditores alii auctoritate præſtant aliis, & quod ex duabus legibus contrariis una ſæpe pluribus Iuris locis juvatur, alia non item: in quo non exiguum poſitum eſt momentum S. Quæ *Quarta?* G. Vt ſi omnibus ſupradictis tentatis, nihil adhuc explicetur, diligenter conſideres quæ lex cui ſpeciei juſtitiæ, veluti rigori aut æquitati, diſtributivæ aut commutativæ, & ſic deinceps, magis congruat; & quæ quibus rationibus, hoc eſt, internis an externis, phyſicis an logicis vel moralibus, & ſic deinceps,

nitatur. His enim adnimadverſis, non difficilè dijudicatur, quæ cui præponderare debeat; idque tum quidem pro quaque re, tum autem ex generali regula quæ tradit, in omnibus rebus potiorem juſtitiæ æquitatisque quàm ſtricti juris debere eſſe rationem.

II. DE FORENSI IVRIS AC LEGVM INTERPRETATIONE.

Titulus XX.

S. Quoniam de Scholaſtica Juris ac Legum interpretatione dictum eſt, deinceps de FORENSI, quam ſecundam poſuiſti, volo ut exponas. G Hæc ita dicitur: non quidem quia in Scholis non attingitur; ſed quoniam in foro ac judicio ejus potiſſimum eſt uſus. S. In quo autem conſiſtit? G Vt rebus in vita communi foroque verſantibus Jura legesque accommodentur, ad eas dirigendas ac gubernandas. S. Quid; quomodo eam dividis ac diſtinguis? G. In Legis Actiones, & Quæſtiones fori.

DE ACTIONIBVS LEGIS.

Titulus XXI.

S. De Legis Actionibus quid ais? G. Eas hic voco per quas à Legibus ad res forenſes deſcenditur, idque tam *uſum* earum in vita communi, quam *Cautiones* ex iis, & *Formulas experiendi*, demonſtrando. S. *Vſus* autem quomodo demonſtratur? G. Cum oſtenditur, quo pacto id quod Legibus deſcriptum eſt, in

vita communi, vel in foro vocetur, & quo pacto re-ipſa ad effectum deducatur. Nam quotidie videmus, unam atque eandem Legum conſtitutionem diverſis modis apud alias atq; alias nationes executioni mandari. Quæ res haud paulo fructuoſior eſt, quam ad duodecim Tabularum, aut Romuli, aut ſi quæ ſunt alia vetera & obſoleta Jura, quæ ne ab antiquis quidem Juriſconſultis ipſis ſatis intelligebantur, homines revocare; & dum illis plusquam decet adhæreſcunt, inutiles ad rempublicam & judicia efficere. Niſi fortè rei intelligentia id exigat, quod perrarum eſt; vel ad elegantiorem doctrinam obiter fiat, quod liberale; vel denique Grammaticum, non Juriſconſultum quis ſe profiteatur; cui ſanè habenda gratia eſt, quod ſtudia noſtra pro virili parte juvare conatur. S. Quæ ſunt *Cautiones?* S. Quæ oſtendunt quo pacto quæque res ſecundum Juris ac Legum præſcriptionem agi contrahive debeat, ut in tuto ipſa ſit & cautum ſit contrahentibus. Veluti fit, dum Jus civile doces oſtendas, quibus modis & quibus verborum formulis teſtamenta rectè condi, ſponſalia fieri, ſtipulationes concipi debeant. S. Quæ *Experiendi in Iure formulæ?* G. Conceptiones actionum & exceptionum, quibus de Jure ſuo homines in judicio contendunt. Quas bene deſcribere, permagni ferè intereſſe, & in non minimâ parte Juriſprudentiæ poni ſolet; tam

apud veteres ſecundum priſca illa jura, quàm recentes ſecundum jus noſtrum quo utimur; quorum libri in manibus verſantur.

DE QUÆSTIONIBUS FORI.
Titulus XXII.

S. Deinceps *Quæſtiones fori* quas vocas? G. Per quas à rebus ad leges aſcenditur, ut per eàs examinentur, quo pacto juſte ſe habeant nec ne. S. Id autem quibus modis fit? G. *Inveniendo ac dijudicandô.* S. *Invenire* quid vocas? G. Certa ratione ac via inveſtigare, quidnam ſit id de quo quæritur, & quale. S. Quid nam ſit id de quæritur, quo pacto invenitur? G. ſi de quæſtione conſtet primò, deinde autem de eo quod eſt judicandum. S. Quomodo conſtare pôteſt de quæſtione? G. Si in quaque controverſia tum quidem intentionem Actoris ſpectes. Vt debes mihi centum ex mutuo: tum autem depulſionem Rei, non debeo, hinc enim continuo liquet, quæſtionem eſſe, utrum centum ex mutuo debeantur, nec ne. S. Quomodo conſtat de eo *quod eſt judicandum?* G. Si poſt quæſtionem inventam, tum quidem fundamentum rei intueare. Vt; non debeo centum ex mutuo, quia tu acceptum tuliſti; & firmamentum Actoris, non tuli acceptum. Hinc enim mox fit manifeſtum id quod in ſupradicta quæſtione judicandum venit, nempe, utrum acceptilatio facta ſit nec ne. Eſtque neceſſarium

rium, ut ad id quod judicandum eſt, inveniendum; non ſolum exceptio & replicatio, ſed & duplicatio & triplicatio, & ſic deinceps prout quæque res eſt, inſpiciatur. S. Nunc quale ſit id quo de agitur, in quonam conſiſtit? & quomodo inveſtigatur? G. Id verò ex ſtatu quæſtionis dependet: qui eſt triplex, conjecturalis, definitivus, & juridicialis. S. *Conjecturalem* quem vocas? G. Cum quæritur an dictum, factum, aut cogitatum quid ſit: quæ quæſtio facti dicitur, ut ſupra demonſtratum eſt. S. *Definitivum* autem? G. Cum rem eſſe quidem conſtat, ſed quænam ſit, & quo nomine appellari debeat, ambigitur. Vt, an Emphyteuſis venditio ſit, an locatio. S. *Iuridicialem*? G. Cum de re & nomine ejus conſtat, ſed dubitatur qualiſnam ſit, hoc eſt, juſta ne an injuſta: quæ quæſtio juris propriè appellatur. Atque hæc quidem cum ab Oratoribus vulgo tractentur, non ſunt eorum propria, ſed à Juriſconſultis, ut dixi, mutuo ſumpta. S. Iam ea quæ inventa ſunt, *quonam pacto dijudicamus*? G. Quomodo ſecundum facultatem Nomotheticen id fiat, jam ſupra eſt expoſitum. Cæterum quantum ad Dicaſticen attinet, qua de nunc agimus, tribus ea res viis continetur. S. Quæ eſt *prima*? G. Vt diſpicias ecquid res propoſita legibus, ſecundum quas judicandum tibi eſt, ſit definita, ſive tacitè ſive expreſsè, ſive reipſa ſive vi ac poteſtate, ut ſupra diximus. Nec eſt infre-

quens, ut quod una lege non invenitur definitum, pluribus inter ſe junctis reperiatur. S. *Secunda* autem? G. Siquidem legibus definitum non reperias, ut videas anne ex iis deduci poſſit, ſive per conſequentias ſive per ſimilitudines: de quibus ſupra dictum eſt. Ait enim Vlpianus: *Quoties lege aliquid unum vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe jurisdictione, ſuppleri.* Item Julianus: *Non poſſunt*, inquit, *omnes articuli legibus comprehendi: ſed cum in aliqua cauſa ſententia earum manifeſta eſt, is qui jurisdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atq; ita jus dicere debet.* S. Recte. G. Quanquam illud notandum eſt, quoties aliquid vel ob neceſſitatem inducitur, vel jure ſingulari contra communem rationem juris, ob meritum, aut aliquam cauſam quæ indulgentiam aut gratiam particularem exigit; ut ſæpe fieri ſupra diximus; id neque ad conſequentias, neque ad ſimilitudines trahi. Vnde Juriſconſultus. *Quæ propter neceſſitatem*, inquit, *recepta ſunt, non debent in argumentum trahi: Quod contra juris rationem receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentias: Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* S. Probe. G. Nec alia eſt ratio eorum quæ tacita inclinatione animorum, licet erronea, in conſuetudinem venerunt. Quæ quidem licet tolerari debeant, ne cum cœlo bellum ſuſcipi videatur, unde vulgo dicitur, *cmmunem errorem*

rem facere jus; non tamen debent trahi ad ſimilitudinem, dicente Iuriſconſulto: *Quod non ratione introductum eſt, ſed primum errore deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet.* S. Nunc *Tertia* etiam quæ eſt? G. Vt ſi legibus & earum conſequentiis ſimilitudinibusq; deſtituare, primum ad conſuetudinem eas, quæ pro lege eſt, & optima earum interpres, deinde ad res judicatas, quarum auctoritas vim legis obtinet, tum ad prudentum ſententias & opiniones, quarum magna ratio in republica habetur; poſt ad ipſum Nomothetam, ad quem utique Dicaſtæ recurrendum eſt, ſi aliis omnibus deſtituatur; quemadmodum Nomothetæ ad Deum, ut ſupra diximus.

DE POLITICA IVRIS ET LEGVM INTERPRETATIONE. III.

Titulus XXIII.

S. Habeo de Scholaſtica ac Forenſi Iuris ac legum interpretatione: de POLITICA nunc reddito. G. Hæc ab eo nomen habet, quòd in Senatu ac Republica, ubi de legibus condendis & corrigendis agitur, & utrum recte latæ ſint nec ne inquiritur, potiſſimum verſatur. Et ideo neque in communibus Scholis tractari debet, ubi leges ipſas juvenes, non autem judicium de legibus, quas ut deas colere oportet, addiſcere debent; neque in foro ac tribunali, ubi ſecundum leges non de iis eſt judicandum. S. Recte. G.

Sed

Sed maxime omnium pertinet ad *eos*, qui arte Nomothetica inſtructi (nam inde proxime effluit) legibus in civitate ſunt præpoſiti, quos nocturnos judices ac ſenes Plato in ſecunda Socratis republica vocat: *deinde* ad ſummos etiam Dicaſtas, qui Nomothetis proximi, aliquam etiam circa leges inferiores conſtituendas ac corrigendas partem obtinent, ut poſt dicetur: *poſt* ad maximos quosque legum doctores, ætate, eruditione, & virtute præſtantes, qui hanc facultatem cum iis ſeorſim communicare poſſunt, qui triceſimum quintum annum egreſſi, tales ſe jam in ſtudiis & vita moribusque probaverint, ut, etiamſi quas leges inferiores non optime conſtitutas reperiant, non tamen ob id minus eas colendas, & tanquam tutelares civitatis deos, ut dictum eſt, in pretio habendas putent, cenſentes tum quidem ſe nondum ſatis eas intelligere, tum vero dominabus etiam dyſcolis eſſe parendum. Quos utique in hac diſciplina convenit exerceri, ut, ubi ad rempublicam venerint, eam quam oportet operam circa uſum & exercitium legum navare poſſint. S. Probè. G. Sed qui aliter ſunt affecti, quemadmodum ad interiorem illam partem reipublicæ, ita nec ad hanc diſciplinam admitti debent: ne ea inſtructi, ſupra leges ſe efferant, & ſi quid in iis non veriſſimum fortaſſe reperiant, totas rejicere & abolere contendant. Quemadmodum

dum ſæpe accidiſſe, & quidem hoc tempore contingere videmus. Nec alio pertinet quod dicit Dominus: *non eſſe ſanctum dandum canibus, nec projiciendas margaritas ante porcos, ne fortaſſe conculcant eas pedibus, & converſi dirumpant nos.* S. Hanc igitur Politicam interpretationem quamnam eſſe dicis? G. Partem quandam Nomotheticæ, de qua ſupra expoſitum eſt: & ideo quæ de ea jam diximus, multo magis in ipſa Nomothetice locum habent. S. In quo autem conſiſtit? G. *In duobus.* S. Quod eſt *primum?* G. Vt certa via ac ratione dijudices, utrum leges latæ recte ſe habeant, nec ne: idque tum quidem ſecundum ſubſtantiam, quoad res; tum autem ſecundum formam, quoad perſonas; tum verò ſecundum naturalia, quoad res & perſonas, prout ſupra eſt expoſitum. Atque hæc quidem eſt interpretatio, quæ à primis principiis repetita, hominem vere prudentem & Politicum efficit, & ad rempublicam regendam ac gubernandam idoneum reddit. S. Quod *ſecundum?* G. Vt ſi inveniatur, legem non recte ſe habere, diſpicias ecquid mutanda ſit, nec ne. Nam ſæpe fit ut quædam ſint in republica non optima, quæ tamen non ſunt mutanda; nempe cum plus periculi & mali in mutatione eſt, quam in ipſa re boni: ut ſupra latius eſt expoſitum.

BREVIARIUM DISSERTATIONIS

Ad L. 1. Codic. Theodoſ. DE STUDIIS LIBERALIB. V. ROMÆ ET CONSTANTINOPOLIS.

Exordium Diſſertationis. Pag. 1.

SCHOLASTICA LEGIS INTERPRETATIO. 2

Univerſalis latæ Legis hiſtoria. 3.

Verba ipſius Conſtitutionis. 9.

Tria ſumma Legis Capita. 11.

DE PRIMO LEGIS CAPITE, adeoque de iis juvenibus qui Romæ ſtudiorum cauſſa ſunt verſati. 12.

Romæ ſtudioſorum cauſa magnum vixiſſe juvenum numerum cum aliorum ſtudiorum gratia 13.

Tum præcipue Romani juris addiſcendi ergo. 15.

ALTERUM CAPUT LEGIS, De iis per quos Lex voluerit aliquid effectum. 17.

De Præfecto Urbis. ibid.

De Magiſtro Cenſus, & Cenſualibus. 21.

TERTIUM LEGIS CAPUT, De iis quæ circa Studioſos debuerint agi. 26.

AGENDA A MAGISTRO CENSUS. 27.

AGENDA A CENSUALIBUS. 32.

AGENDA AB IPSIS STUDIOSIS. 33.

Primum. 34.

Secu-

Secundum. 35.
Tertium. 44.
Quartum. 48.
Titulus Manſuetudinis *Præfecto Vrbi attributus.* 49.
Scrinia. 50.
POLITICA LEGIS INTERPRETATIO. 51.
PRÆFATIO IN POLITICAM INTERPRETATIONEM. ibid.
POLITICÆ LEGVM INTERPRETATIONIS COMMVNIA PRÆCEPTA. 54.
De FINE LEGI propoſito in communi: & ſpeciatim de Proximo & Particulari. 59.
De FINE LEGIS Externo & Vltimo.
De FINIVM LEGIS Proximorum cum Vltimo convenientia. 64.
De Proximorum Legis Finium cum Vltimo convenientia accuratius diſquiritur. 67.
Primum. 68.
Secundum. 69.
Tertium. 70.
DE MATERIA CIRCA QVAM Lex verſatur, ſeu de Studioſa juventute Romana. 72.
DE FORMALI LEGIS CAVSA, ſive de norma eorum quæ Lex juſſit agere. 73.
Actus primus. 74.
Secundus Actus. 75.

Tertius Actus. 76.
Quartus Actus. 77.
Quintus Actus. 78.
Sextus Actus. 79.
Septimus Actus. 85.
Octavus Actus. 88.
Nonus Actus. 90.
Decimus Actus. 92.
Vndecimus Actus. 93.
Duodecimus Actus. 93.
DE IIS QVÆ PERTINENT AD CAVSAM EFFICIENTEM: ſive de iis, per quos Lex effici quædam voluit circa Studioſam Romanam juventutem. 94.
Magiſtro Cenſus recte commiſſa ſunt agenda. 95.
Cenſualibus minùs prudenter quædam ſunt injuncta. 96.
Præfecto Vrbis prudenter fuiſſe mandatam juriſdictionem in Studioſos. 98.
EPILOGVS POLITICÆ INTERPRETATIONIS. 99.

DISSER-

BREVIARIUM
DISSERTATIONIS

De iis quæ in Studioſo quovis requiruntur, qui in Academia velit Studiorum fructum carpere.

Exordium Diſſertationis. 103.

Propoſitio Diſſertationis. 104.

Quatuor Requiſita cumprimis ſunt neceſſaria. 105.

Eſt & quintum requiſitum. 167.

DE INGENIO. 107.

Ingenium prius explorandum eſt. 109.

Commune Ingenii examen. 109.

Examen Ingenii ſpeciale. 111.

Dotes Ingenii nativæ quemadmodum augeri queant. 115.

DE AMORE DISCENDI. 116.

Amor Studiorum debet eſſe diverſus pro Studiorum diverſitate. 117.

Non ſemper propenſioni juventutis fidendum. 118.

Quomodo coërcendus animus eorum qui Practicis Studiis ſunt dediti. 119.

Philoſophiæ Studioſo multum eſt indulgendum. 120.

DE LABORUM AMORE. 120.

DE ELEMENTARI DOCTRINA. 123.

Peritia Linguæ Latinæ inter elementares doctrinas maxime eſt omnibus communis. 124.

Logicæ rudior peritia itidem eſt elementaris. 125.
Rudior quoque Metaphyſices peritia elementaris eſt. 126.
Propædia cujuslibet doctrinæ eſt illi elementaris. 127.
Magiſtrorum qui voce aut ſcripto docent neceſſaria notitia. 129.
Scriptores optimi cumprimis ſunt præcognoſcendi. 130.
Quomodo fieri id poßit. 130.
Præliminarium doctrinarum ſingularium neceßitas. 131.
DE MORIBVS CVIVIS STVDIOSO APTIS. 132.
Mores qui ab omni Studioſo requiruntur. 133.
Ambitio & φιλαργυρία quid permittant in Studiis. 133.
In Academiis ſpectandum, qui mores Contemplativæ qui Practicæ vitæ conveniant. 135.
Vitæ Contemplativæ mores. 135.
Mores vitæ Practicæ. 136.
Qui mores homiletici conveniant Studiis & Theoreticis & Practicis. 138.
DE REQVISITORVM INDAGATIONE. 140.
Modus Indagandi. 140.
Quinam examen debeant inſtituere. 141.
DIGRESSIO ad Panegyri huic magis propria. 143.

BREVIARIUM EXCERPTORUM JOACH. HOPPERI.

De Dicaſtice & ejus diviſione.	150.
De Intelligentia Iuris & Legum ejuſque diviſione.	151.
I. De SCHOLASTICA IURIS ET LEGUM INTERPRETATIONE.	152
De Via ſimplici & inchoata.	152.
De Univerſali Iuris interpretatione.	154.
De Generali Iuris interpretatione.	154.
De Speciali Iuris interpretatione.	157.
De Plena & perfecta Iuris & Legum interpretatione.	159.
De Singularum Titulorum interpretatione.	159.
De Singulorum Legum Interpretatione.	161.
De Interpretatione Hiſtorica.	162.
De Interpretatione Etymologica.	164.
De Interpretatione Practica.	167.
De Analogica Interpretatione.	168.
II. DE FORENSI IURIS AC LEGUM INTERPRETATIONE.	170.
De Actionibus Legis.	170.
De Quæſtionibus Fori.	172.
III. DE POLITICA IURIS ET LEGUM INTERPRETATIONE.	175.

INDEX

INDEX RERVM QVÆ IN HOC TRACTATV CONTINENTVR

A.

Abiecto qui ſunt animo contemnuntur 139.

Abrenunciatio in Baptiſmo apud primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos 81.

Academia 20. earum juriſdictio ibid. non obtinuit olim, ut hodie. ibid. Friderici I beneficio introducta ibid. earum ſchola 104. quare excitatæ ibid. Emporio ſimiles. 106. in iis docendi ratio hodie à veterum diverſa eſt ibid. in iis caſtigationibus ſcholaſticis non eſt amplius locus 117.

Academici 106. eorum ſcopus ibid. qui non habent animum doctrina excolendi propoſitum in Academia non ſunt tolerandi ib. ingenio deſtituti domum remittendi 108. non tamen cum contumelia ibid. ſed cum mœrore ibid.

Ἀνεξαματικὴ 106. ad hanc quatuor requiruntur 107.

Actio unde formam & ſpeciem ſuam habeat 56.

Actus civilis 55. eius fundamentũ ib.

Acumen ingenii in ſtudioſis diverſum 108.

Adoleſcentum ætas multum curæ deſiderat 83. eius imbecillitas in vitiis æſtimandis vel amandis ibid. ab omni ſcenico ludo per Cæſares avocanda fuiſſet. ib. certo ad minimum tempore tantum ad eum admittenda fuiſſet. ibid viginti annorum reipubl. plerumq; inepta 92.

Adulterium 88. diſcitur dum videtur ibid

Ægyptii delectum ad ſtudiorum culturam egerunt 64. familiis certis eam adſtrinxere 65. improbatur ibid. non ceſſit in artium meliorem culturam ibid. eorum Reges 70. ſuos cenſuere ſubditos ibid.

Ærarium Saturni 30. Præfecti eius ibid. Romanorum Salviani tempore exhauſtum 38.

Ætas noſtra 122. non anum dedit doctrina præcellentiſſimum ibid.

Africanus Epiſcopus 28.

Africani Patres. 37. Spectaculorum abrogationem rogarunt 28.

Ἀγχίνοια quid 111. ad iudicandi facultatem referenda ibid. pereximia ingenii virtus ibid. illa præditus εὐφυὴς ibid. rarior eſt ibid. in ſtudioſo quolibet non requiritur. ibid. de eo qui hac eſt præditus ſumma quæque polliceri nobis habemus 115.

Agenda à ſtudioſis 33.

Agricola ſocer Taciti 67. eius εὐφυΐα ibid. 119. Marſiliæ ſtuduit ibid.

Alaricus

Alaricus epitomen Theodoſianam publicare juſſit 3. *Galliæ partis & Hiſpaniæ olim imperavit* ibid.
Aleæ uſus apud Romanos 38
Alexandri Reſcriptum 72.
Alypius Auguſtini ſocius 80. *vir multæ ſanctitatis ibid. ludis amphitheatralibus interfuit* 81. *Romam profectus juris diſcendi cauſſa* 16.
Ambitio nonnullis ſtudioſis calcar ad diligentiam 133.
Ambitioſi & avari in ſtudiis quales 134.
Ammianus Marcellinus 6. *ſcriptor curioſus ibid. Præfectus Vrbi ibid.*
Ampelius 6. *ſucceſſor Olybrii in Vrbis Præfectura* 6. *an ad hunc conſtitutio ſcripta* 8.
Amphitheatralia ſpectacula 35. 81. *iis Alypius interfuit vid. Alypius.*
Analytica cognitio 125. *accuratiori doctrinæ inſervit ibid, ſine hac non poteſt ſubtilior Philoſophia addiſci* 126. *eius defectus infelicitatem in ſcientiis addiſcendis ominatur* 126.
Anglorum ſtatutum Regium de peregrinatione extra regni fines 75.
Anianus Epitomen Codicis Theodoſiani evulgavit 3.
Animadverſio in adoleſcentem 88.
Animus eorum qui ſtudiis Practicis dediti quomodo coërcendus 119. *etiam artes diſcentium* 120.
Annonæ curator. vide Maximus Præfectus 21.
Anno viceſimo ſtudioſi in patriam remittendi à Præfecto erant 30. *uſus reip. id non poſtulavit ibid. ſtudiis maxime adverſum fuit ibid.*
Anno quovis ratio de ſtudiis reddenda erat 49. *ratio huius ibid. viceſimo ut remitti in patriam poſſent ſtudioſi, nomina deferenda erant* 60. 61. *viceſimus quinctus reſpubl. muneribus adoleſcentem admovendum deſtinatus erat* 91. *inſtituto Vlpiani ibid. ſtudiis à Diocletiano dicatus* 92. *ultra viceſimum Romæ linqui poterant ibid.*
Annotatio publica ſtudioſorum provincialium Romã adventantium 95.
Antemeridianæ horæ ſtudiis aptæ 84.
Antoninus ſingulari numero edicti ſui verba concepit 5.
Ἀπαίδευτοι *notantur* 126. *haud noverunt diſcernere* ἀποδεικτικὸν & διαλεκτικὸν ibid.
Ἀπογραφὴ 23.
Ἀπολυτικὴ 29.
Apparitores 22. 48.
Appellationes ex Provinciis ad Præfectum Vrbi 9.
Apronius Vrbi Præfectus 6. *à Juliano conſtitutus* ibid.
Appuleius uxoris ſuæ ætatem probat 31. *ex tabulis cenſualibus* ibid.
Arator Patricius 14. *eius elogium ibid. Ciceronem diligenter legit* ibid.
Arca de hominum ordine qui arcas ſervare ſolebant uſurpari cœpta 50. *ſic accipitur l.*1. Cod. de offic. P.P.

Aa Africæ

Africæ. *Auguſtales 50. præter illas plures ibid.*
Arenarii 80. commiſſiones eorum, quando deſierint ibid. Salvianus in eos invehitur ibid. in eis omnia flagitia ibid. ſummum deliciarum genus ipſis mori ibid.
Argumenta dialectica 126. ex Metaphyſicis deſumta ibid.
Anianus epitomen Theodoſianam publicavit 3.
Ariſtoteles 13. eius præceptum de puerorum educatione ibid. vir incomparabilis 105. eius docendi via ibid. eius diſcipuli in duplici ordine ibid. doctor ſagaciſſimus ibid. reſpexit Studioſos Philoſophia tantum 106. quur negaverit iuvenem Moralis Philoſophiæ undequaque aptum auditorem 110. eius librorum Rhetoricorum uſus de inventione 116. in Philoſophiæ ſtudioſo quid requirat 120.
Ars medica memoriam deſiderat 113. Demonſtratoria 215. inprimis auget ἀγχίνοιαν ibid. ut & dialectica ibid.
Ars & modus ſciendi cum ipſa ſcientia non ſunt diſcenda 125.
Ars ſciendi 125. præmittenda ſcientiis ibid.
Artes quando maxime floreant 65. earum mercatus Romæ 64. iis imbutũ liberaliter quemvis ſervitute ſolvere æquum fuiſſet 93. magnum ad virtutem incitamentum ibid.
Artifices an pertineant ad l. 2. Codic. Theodoſiani de Excuſat Artific.
Aſpectus impediens 82.
Aſſiduitas in ſtudiis requiritur 122.
Attica iuventus M. ſſiliam ſtudiorum gratia petiit 67.
Avaritia ad diligentiam calcar 113. in quibus ſtudiis ibid.
Auctor quando Helmſtadium ſtudiorum gratia devenerit 109. Profeſſorium munus quando obierit ib. eius Vice-Rectoratus ibid. quenam ipſi obſervata ibid. qualem ſtudioſum inſtruat 124.
Auditus improbus aures occupat 82.
Auguſti 134.
Auguſtus Octavianus 18. Præfectum Vrbi creavit ibid. Conſilio Mæcenatis ibid. Cenſum egit 23. quo fini ibid. eius ævo quænam loquendi ratio 49. peregrinationem ſuo Senatori interdixit 74.
Auguſtinus à Symmacho in eloquentiæ ſtudio probatus 18.
Auſonius Profeſſores Galliæ laudat 14.
Authentica Habita *9. eius auctor Fridericus I ibid.*

B.

Baptiſmatis renunciationis formula apud veteres Chriſtianos 81.
Beatitudo ſocietatum civilium vid. Societatis.
Berythienſis Schola 2. ſeculo IV ſtudiis iuris celeberrima ibid. ex ea adiutores Triboniani ibid.

Beſtiarii

Beſtiarii 80.
Breves 44. *ad ſcrinia mittendæ* 51.
Breviarium Imperii 23. 69. *ex cenſua libus monumentis confectum ibid. ab Auguſto Cæſare ibid. repertum inter arcana eius.* *ibid.*

C.

Cæſares Romani 63. *eorum in rempubl. animus ibid. non idem ibid. ſingulari numero primum ſua edicta concepere. eorum feſtivitates vid. Feſtivitates Cæſarum.*
Calviſius Taurus 140.
Cantica laſciva in conviviis gentilium 85. *meretricularum* *ibid.*
Capita Theodoſianæ Legis vid. Lex.
